

D. Gioseppe Fulva

DE IVSTITIA, ET IVRE

DONATI GALASSI LVCANI IVRISCONS.

Commentarius

In quo Iurisconf. ea, quæ sub hoc titulo, & sparsim de obligationibus naturalibus in Pandectis habentur, aliaq; multa nouè, & eleganter exponuntur.

Atque de potestate legum in vtroque (vt aiunt) foro noua, ac vera definitio altissimè traditur,

Ad Illustrissimum Dominum

FVLVIVM CONSTANTIVM

Corleti Marchionem, Regis à Latere Consiliarium, ac Regiam Cancellariam Regentem Amplissimum.



NEAPOLI, Ex Typographia Io: Iacobi Carlini, & Constantini Vitalis. M.D.C.X.

Omnia quæcunq; in his operibus, quæ nunc euulgātur, ac in alijs Deo fauente post hac euulgādis scripsi, Ecclesiæ Sanctorumq; doctorū, & cuiuslibet rectius sentiētis iuditio ea me submittere, neque de uijs pro scriptis haberi velle profiteor hic Donatus Galassus Lucanus iureconsultus.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM


FVLVIVM CONSTANTIVM

CORLETI MARCHIONEM, Regis à Latere Consiliarium, ac Regiam Cancellariam Regentem Amplissimum.

DONATI GALASSI Lucani Iurisconsulti

In Commentarios DE IVSTITIA, ET IVRE

PRAEFATIO.



VXTA Platonis Aristotelisq; sententiam Illustrissime Fului, explicandis cuiusque doctrinæ principijs summoperè vacãdum esse, ac ea cuiusq; rei potissimam esse partẽ Caius iureconsf. affirmat. Nec aliam ob rem Iustiniani iuris interpretum commẽtaria in tantam excreuere molem, vt illa vetus iurisprudentia obruta oppressaque videatur. Nisi quod primi, quos cæteri secuti sunt, in

eius principijs admodum errauerunt. In his inquam errantes, ad quæ ea referri debent, vel Principum rescripta, vel Iuriscõsultorum responsa aliaque dicta, ex quibus ius nostrum compositũ est: ad alia ea detorserunt, quæ cum ab illorum mente longè aliena sint, ex his deinceps alia multa falsò differunt, quæ exitum reperire non possunt: eoque tandem res deuenit vt iam non ab Iustiniano composito iure, sed interpretum erroribus vti potius videamur. Ac ita porrò quod Iustinianus memoriæ prodidit fore, vt eius opera talis legum permutatio deprehenderetur, qualem apud Homerum Glaucus, & Diomedes faciunt permutantes; res ipsa comprobauit, haud tamen ex eius animi sententia processit. Censebat enim ille pro Diomedis æreis aurea Glauci remansura, ꝙ omninò contra factum est. Nam quorum Iustinianus volumina resecauit, illi quidem ea callebant, quorum ignoratio postea quos diximus errores induxit, & pro priscis Iurisconsultis, qui latinitati, elegantiæ, atque breuitati sua scripta dicauerant; qui successerunt interpretes barbarè ineptè sordideque atque verbosissimo stylo interpretationes suas perscripsere. ex quo planè conijcere licet, quanto priscis illis inferiores isti iaceant, quantoque maior horum voluminum aceruus adauctus sit, quam illorum. In primisq; qui sine philosophia,

qua

quæ ad mores pertinet, rectè leges interpretari non posse testatur idem Aristoteles dum eorum improbat opinionem in quinto ethicorum qui tamquam eorum; quæ legibus comprehenduntur, cognitio difficilis nō sit, quam illarum interpretes profitentur sapientiam esse negant. Nec ignoratis ijs, quæ naturali iure includuntur, benè percipi ea possunt, quæ ciuili iure continentur, quod magna ex parte e naturalibus præceptis esse collectum Cicero præterea, & iurisconsulti nostri declarant. In Codicibus deinde Iustiniani, quod à nonnullis reprehensum iure videtur, quia multorum, ex quibus legibus, Senatusconsf. Plebiscitis, Principum placitis, Prætorum edictis ius nostrum compositum est, non relictis verbis, interpretationes iurisconsultorum ille præstitit: eorum dicta satis percipi non possunt, eorum nulla cognitione habita, quæ illi sunt interpretati. Similiter non mediocrem affert difficultatem ignoratio ciuilis, ac forensis usus quem iurisconsulti locutionibus suis quondam adhibuerunt. Quapropter summa sunt extollendi laude, qui ex posterioribus ad illorum fragmenta quædam colligenda incubuerunt, nō modo varijs e locis eorundem Iustiniani Codicum, verum etiam ex alijs præstantibus auctoribus. Non animaduerIat Iustinianus quam in Codicibus suis difficultatem relinqueret, dum

super

super his commentaria fieri vetuit. Equidem si iurisconſ. volumina extarent, e quibus Iustiniani Codices compositi sunt, vt dictorum Auctores in ijs digesti citantur; ex ipsis integris locis, e quibus excerpta sunt dicta, facillimè sensa eorum perciperentur. Cum vero priscorum iurisconſ. volumina interierint, qui longo post tempore ius ciuile studio tractare inceperunt (multa enim per secula vsque ad Irneriũ intermissum fuit) nihil aliud quã rudẽ interpretationẽ præstare potuerunt, eorũq; dicta quotquot similia videri possint, qui ex posterioribus cõglomerantes, ex his nouos cõposuere libros: eorũ consilium iure doctiores irrident: huiusmodi quippè librorum nullus esset finis. Eorum summa laude dignum consilium fuit, qui in his exponendis iuris partibus laborauerunt, quas antiquiores interpretes satis intelligere non potuerunt. hæc enim via mihi videtur illorum erratorum radices extirpandi, eorumque progressiones præcidẽdi. Reor enim quod si vera eorum sensa nobis exponerentur, ex quibus ius nostrum compositum est, his enodatis tanta librorum moles huic studio leuaretur, illisque vsus amplius non esset. Quam in opinionem non solum Iustiniani testimonio adductus sum, qui intellectu facilia ea credẽs, quæ in suo opere collegit, in ea commentaria fieri vetuit: sed etiam ex his compluribus in-

terpre-

terpretandis expertus sum his omnibus scienter explanatis, quæ in legales tractatus Pandectarum compositores perscripserunt, ex his omnia dirimi, quæ laboriosa cæteris fuerunt. Quod si Iustiniani imitatione Catholico Regi nostro, cuius similis in toto terrarum orbe nullus existit, faciendum vnquam videbitur; id hac tempestate nõ esset impossibile multis præstantibusque iureperitis adhibitis, nouis, & breuibus annotationibus in Iustiniani Codices partim ex Antiquorum, partim ex Recentiorum, ac item ipsorum e viuis selectorum interpretationibus, quæ in his continentur, enodata sic exponere, vt in legales tractatus huc vsque perscriptis commentarijs opus amplius non sit, & vetus obruta iurisprudentia rursus appareat. idque quò vtilius, magisque necessarium, eò laudabilius esset Iustiniani opere: nam & ipse dixit, qui non subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus inuenit. Fieret etiam, vt posthac iurisperitiæ candidati lõgè doctiores, quam horum temporum Doctores euaderent; quorum licet magna copia vigeat, paucissimi tamen tanto nomine digni, magno cum Reipublicæ Christianæ detrimento, reperiuntur. Hoc opusculo nostro de De IVSTITIA ET IVRE, *quantũ alij aberrauerint in principijs, facilè iudicabit, qui eorum dicta volutarit, ipsumque perlegerit opusculum,*

lum,

lum, quod aliorum erroribus referendis onerare noluimus, & quod esset id magno cum labore coniunctum, ob immensam ipsorum multitudinem; & quod indignum alienos lapsus absque compendio referre putauerim. Accedit etiam quod cum ij ex principiorum inscitia profecti, quæ hoc opusculo explicantur, permultos peruaserint legales tractatus; sub hoc vno persequi non licuit. Reliquum est Illustrissime Fului, vt tibi causam aperiam, cur hoc opusculum sub tua tanti viri tutela edere voluerim, primum quòd à te, dum Magni Cancellarij vicem gereres, laurea iurisperitiæ sim insignitus. Deinde quod cum à Prorege huius opusculi primum omnium, quæ elucubratus sum, euulgandi facultatem petierim, A latere primarius, tu nostras preces admiseris Ac in eo de IVSTITIA ET IVRE *cũ agat, iure tibi dicatũ sub tutela tua proditur; quippè qui Iustitiæ summus Antistes, non dubium est, quin munus ames, & decores. Meamq; tibi sententiam non abs re aperuisse spem habeo. Vale.*

TITVLVS I.

DE IVSTITIA ET IVRE.

1. Vlpianus libro primo Institutionum.

Iuri operam daturum prius nosse oportet, vnde nomen iuris descendat: Est autem à IVSTITIA appellatum. (Nam vt elegantes Celsus definit, ius est ars boni & æqui) Cuius meritò quis nos sacerdotes appellet. IVSTITIAM namque colimus: & boni & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo separantes: Licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum etiam premiorum quoque ex hortatione efficere cupientes. Verum (nisi fallor) non simulatam Philosophiam affectantes.



VSTITIAM eodem modo ac Aristoteles in capite quinti libri ethicorum ad Nicomacum iurisconſ. hic accepiſſe videri poteſt. Iuſtitiam Ariſtoteles generaliter legum ipſam conſeruationem dictam eſſe volens, quia præcepta legum ad omnem ferè virtutem pertinent, quam moralem vocant: eam omnē in ea iuſtitia concludit, ipſam ſic à virtute ſecernens, quod ea qualis penes ipſum eſt ea præditum, virtus quidem, eius autē vſus in alios, quos erga leges illam in ipſo requirunt, iuſtitia nominatur. Iuris ergo præcepta cum in omnem virtutis partem ſe fundant, à iuſtitia dictum ius eſſe iuriſconſ. hic aiens, per iuſtitiam eam, quæ ſecundum Ariſtotelis definitionem virtutes complectitur omnes intelligere videtur, & item eius, quod iuriſconſultorum officium eſſe dicit, æquum ab iniquo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere; iuſtitiam finem eſſe volens, & in his omnibus diſtingu endis boni & æqui notitiam verſari ſentiens, quam ſimul eos profiteri dicit: quæ iuſtitiæ eius ratio diſcriminat, quam virtutis partem quandam eſſe volunt; ea quidem æqui & iniqui: cætera legibus permiſſa atque vetita liciti & illiciti

citi: vtrumq. licitum & æquum boni & æqui; legum vero conseruationem ipsam iustitiæ nomine iurisconſ. hic designasse videtur. Atqui ius à iustitia appellatum esse, qui dicunt, per iustitiam non eam hominis virtutem intelligunt in eo diuturno iuris præceptorum obsequio confectam, nam istæc ordine ipso iure posterior est, ex quo præcepta feruntur. sed iustiā hi eam vocant æquitatem, ex qua vt infra dicemus iuris repetunt originem, eaq. forma depromitur; quam huius virtutis amator sequi debet. & iurisconſ. Isidorus accedit, qui ius dictum esse vult, quia iustum est. Ac ciuili non omni quidem verum æquitatis institutioni hoc iuris nomen impositum esse: ex quo perspicuum fit, in hoc ipso iuris nomine interpretando iustiæ vim in esse, quæ in æquitate consistit, M. Tullius autor est officiorum in secundo libro ita scribens, Mihi quidem non apud Medos solum (vt ait Heredotus) sed apud etiā maiores nostros fruendæ iustiæ caussa videntur olim benè morati Reges constituti: Nam cum premeretur inops multitudo ab his, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem cōfugiebant virtute præstantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eadē constituendarum legum fuit caussa, quæ Regū, Ius enim semper quæsitum est æquabile, neq,
 enim

enim aliter esset ius. id si ab vno iusto & bono viro olim consequebantur, eo erant contenti. cum id minus contingeret, leges sunt inuentæ, quæ cum omnibus vna atq. eadem voce loquerentur. & secundum hæc inferius idem ait, ea est ratio & sapientia summi ciuis commoda ciuium defendere non diuellere: atq. omnes æquitate eadem continere. & rursus in eos, qui reipublicæ præsunt, inprimisq· operam dabūt, vt iuris & iuditiorum æquitate suum quisq. teneat: & neq. tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur: neq. locupletibus ad sua tenenda vel recuperanda obsit inuidia. & in libro primo de oratore, sit (inquit) in iure ciuili finis hic, legitimæ ac vsitate in rebus causisq. ciuium æqualitatis conseruatio. Iustitiæ vero hanc partem esse, quæ iure fundatur æquabilitas, quam per æquitatem in his & in alijs innumerabilibus locis intelligit, idem in primo officiorum in his verbis expressit. Difficile est, cum præstare omnibus concupiueris seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè propria: ex quo fit, vt neq. disceptatione vinci se, nec vllo publico ac legitimo iure patiatur. & apud eum ius ex iustitię fontibus emanare Scipio dicit in libro tertio de repub. cuius hunc locum Augustinus citat in lib. 15. de ciuitate Dei. Sic & autor ad Herennium in iustitiæ partibus id adscribit in libro tertio,

vt in omnibus ius æquabile ſtatuatur. Ac ex his quod Celſus inquit, ius eſt ars boni & æqui. idipſum intelligens, cui nos dantes operam boni & æqui notitiam profiteri ſubiungit, Vlpianus ſic intellixiſſe videtur, quod ius inſtitutio boni & æqui dicta ſit; huiuſmodi vero quæ non eſt, iuris eam nec intelligi. eaq. ſententia Ciceronis his de legibus in ſecundo dictis confirmari poteſt, Conſtat profectò ad ſalutem ciuium, ciuitatumq. incolumitatem, vitamq. quietam ac beatam conditas eſſe leges: eoſq. qui primum eius modi ſcita ſanxerunt, populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturas, quibus illi aſcriptis ſuſceptiſq. honeſtè beateq. uiuerent. quæq. ita compoſita ſanctaq. eſſent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par eſt, eos, qui pernitioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerunt; cum contra fecerint. quam polliciti, profexiq. ſint: quiduis potius tuliſſe, quam leges; vt perſpicuum eſſe poſſit, in ipſo nomine legis interpretãdo ineſſe vim & ſententiam iuſti & iuris colendi. Porrò ex his ipſius Ciceronis in ſecundo de officiis, quæ primo loco relata fuerunt, id optimè concluditur, quod Plutarchus inquit, Iuſtitia igitur finis eſt legis, lex autem officium eſt Principis. Cum Ariſtoteles inquam ciuilis facultatis ſtudium eſſe ciues bonos legibuſq. obtemperantes efficere, ſæpè dixerit in primo ad

Nicomacum libro in capite nono & item in extremo. eodem, leges virtutes penè omnes in ipsis ciuibus requirere, mox dicente. ex his colligimus, aliter atq. apud Ciceronem virum bonum hic accipi. is enim officiorum in libro primo de iustitia virtutum vna loquens, ex ea inquit viri boni nominantur: idemq. rursus affirmat illorum in secundo libro cum Paulo superius dixisset, vt vulgus sic nos hoc loco loquimur, vt alios fortes, alios bonos viros, alios prudentes dicamus. quibus ex verbis colligitur, quod alibi scripserat in primo libro, vbi de modestia, temperantia, & iustitia loquens, illæ virtutes (inquit) bonum virum videntur potius attingere. Idem Aristoteles illius ad eundem Nicomacum quinti libri in secundo capite scribit, in legibus quæ omnibus ciuibus communis viuendi disciplina traditur, ea quidem non virum bonum sed ciuem bonum effici, & hunc alium atq. illum esse volens, singulorum institutio, qua vir bonus efficitur, vtrũ pars ciuilis an alterius facultatis sit, alibi se dicturum pollicetur, quod in eius operis peroratione præstitisse videtur. idemq. virum bonum & ciuem bonum rursus discreuit in politicor. libro tertio in capite tertio. & M. Tullius in primo officiorum, priuatum (inquit) oportet ęquo & pari cum ciuibus iure viuere, neq. submissum & abiectum: nec sese efferentē:

tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sint: talem enim & sentire & bonum ciuem dicere solemus. Cęterum quia apud Ciceronem in libro primo de oratore ad ea, quæ Lutius Crassus de iure ciuili verba facit, Antonius in hæc infra respondit, quod viros bonos iure ciuili fieri putas, quia legibus & pręmia proposita sunt virtutibus, & supplitia vitijs: equidem putábam virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo & persuadendo; non minis aut vi ac metu tradi. nam ipsum quidem illum etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cauere malum, scire possumus. Aristotelem adhibeamus in secundo ad Nicomacum libro dicentem, legũ latores ciues assuefaciendo bonos efficere: ac propositum quidem vniuscuiusq. legum latoris hoc esse: qui vero id bené non efficiunt, peccare: idq. inter bonam malamq. rempublicam interesse. eiusq. sententia pęnæ quæ per dolores adhibentur: velut medicamenta quædam sunt, quæ per contraria fieri consueuerunt. & plenius hæc ex his intelligi possunt, quæ idem Aristoteles in eius operis peroratione scribit, & Augustini his quæ Gratianus reponit in 23. q. 6. Nomotheticen id est legum ferendarum peritiam Aristoteles in sexto ad Nicomacum libro in ottauo capite, architectonicam prudentiam politicæ prudentiæ vocat, quæ vero in fin-

in singulis rebus occupatur, nomen ei commune politicæ ideſt ciuilis eſſe dicit. Cuius pars nomothetica ſit, in eius operis peroratione monſtrat. Quam vero legum interpretes profitentur, ſapientiam eſſe qui negat, eorum opinionem Ariſtoteles reprehendit libri quinti in capite nono, cuius ex his, quæ ſubiungit, apud ipſum Aueroes ſequentis libri in illo octauo capite ſcribit, in legibus, quæ generaliter ponuntur, ea temporibus commutari: eorumq. cognitionem, ex quibus ea commutantur, eã iuris peritos profiteri. ex quibus id facilè intelligere licet, iuriſconſ. officium eſſe, quod hic dicitur, æquum ab iniquo ſeparare, licitum ab illicito diſcernere. quod ſtudij cum in ciuilem ſocietatem conferatur, ad iuſtitiam meritò refertur, quæ ex ſocietate generis humani conſtat. eademq. ratione quam affectant verã non ſimulatam Philoſophiam eſſe, iuriſcõſ. hic ait. Nam vt Cicero in primo officiorum inquit, videndum eſt, vt non ſatis ſit, id, quod apud Platonem eſt in Philoſophos dictũ, quod in veri inueſtigatione verſentur: quodq. ea, quæ pleriq. vehementer expetunt, & de quibus interſe digladiari ſoleant: contemnant, & pro nihilo ducant: ſe propterea iuſtos eſſe. Nã dum alterum iuſtitiæ genus eſſequuntur, non inferenda (ne cui noceant) iniuria: in alterum incidunt. diſcendi enim ſtudio impediti, quos
tueri

tueri debent, deserunt. Plinius in epistola ad Atrium Clementem, affirma (inquit) Euphrates Philosophus hanc esse philosophiæ pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere, & exercere iustitiam: quæq. ipsi docent philosophi, in vsu habere. Sacerdotis vero nomen Aueroes ad legum latores atq. philosophos referens in principio secundi tractatus in Platonis repub. sic exponit; lingua nostra Arabica Sacerdotis nomen pro eo interpretatur, cuius operationibus fides est adhibenda: igitur cui fides habenda est propter actiones eius, quibus philosophus est, Sacerdos simpliciter est. Ad eamq. rationem, qua, iustitiam nos colere, dictum accipimus, tum ea faciunt Imperatorem Leonis & Anthemij, quæ in aduocatos dicta, extant Cod. de aduocat. diuers. iud. in c. 14. tum Iustiniani ad huius philosophię studium summopere iuuenes adhortantis Institutionibus in proemio extrema verba.

§. Huius studij duæ sunt positiones publicum & priuatum. Publicum ius est, quod ad statum Rei Romanæ spectat. Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem. Sunt enim quædam publicè vtilia: quædam priuatim. Publicum ius in sacris, in Sacerdotibus, in magistratibus consistit.



VO iure septa ciuitas esse debet, eius qua parte rei publicæ status ordinatur, ea ius publicum: qua vero singulorum res disponuntur, ius priuatum appellatur. A iure publico ius ciuile Cicero distinguens in libro primo de oratore eius, quem ibi in persona Lucij Crassi de oratore sermonem facit, prope finem, publica iura dicit, quę sunt propria ciuitatis atq. Imperij. Ius autē ciuile apud eundem in topicis esse dicitur, æquitas constituta his, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. eaq. diffinitione religionum ius & sacrorum omnium comprehensum non esse: neq. id ciuile ius appellari, quod est pontificum Boethus declarat, cuius infra verba videbimus. De sacris vero constitutum ius eadem ratione publicum dictum

fuit, qua ſacrorum alia publica alfa priuata i nominata fuerunt. Sunt vero, qui rentur antiquum illud Populi Romani ius, quod in Imperatorem poſtea translatum fuit, antea vero in his conſtitit, quæ ad ſtatum reipub. pertinebant; & in his omnibus, quæ ſine populo peragi non poterant: id ius publicum hic dictum esse: vtq. illud in Imperatorem translatum fuit, publici atq. priuati iuris hic poſitam diſtintionem fieri deſitam fuiſſe. Itaq. ius publicum in ſacris, in Sacerdotibus, in magiſtratibus olim conſtitiſſe, non amplius conſiſtere: per ſacra non ſacrificia, ſed dedicationes & conſecrationes: per Sacerdotes ſollennes eorū ſortitiones, apprehenſiones, inaugurationes, electioneſq. & per magiſtratus, comitia conſularia, prætoria, tribunitia, ædilitia cęteraq. ſic exiſtimantes intelligi volunt. huic autem opinioni primum ſacrorum, cuius mentionem fecimus, diſtintio reſtagatur, cui ſimiliter de his conſtitutum ius diſtintum fuiſſe, certum haberi debet. Deinde quo reſpub. ſic ordinata fuit, vt ei per vnum ſiue Regem, ſiue Imperatorem conſulatur: id quidem ſimiliter ac illud, quo prior illa ordinata reſpub. fuerat: ius publicum appellari debet. De magiſtratibus, quod ciuitatis perſonam gerere intelligatur Cicero ſcribit in ſecundo officiorū, & in Principe hoc pariter intelligendum eſt, qui imperandi

randi à populo poteſtatem accepit, cumq. magiſtratuum appellatione Vlpianus hic comprehendiſſe videtur, ſimiliter atq. Reges Pomponius ſub titul. ſeq. de origin. iur. in c. 2. §. poſt originem iuris &c. Imperator Inſtitution. de rer. diuiſ. in §. ſingulorum autem &c. Quippe quia magiſtratus non ſua ipſorum ſed reipublicæ cauſſa illi præficiunt, quod infra latius videbimus: quod pęnes eos eſt, ius publicum appellatur ſub titul. de eo, quod met. cauſſ. geſt. erit in c. vlt. ſub tit. ad Senatuſconſ. Trebell. in c. 14. Et hoc nomine id à priuato diſtinguitur de capit. diminut. in c. 5. §. vlt. & in c. 6. De Prætore Feneſtella huiuſmodi verba faciens, penes hunc magiſtratum adeò omnis publici priuatiq. iuris poteſtas fuit, vt nouum ius condere, & vetera abrogare facultas eſſet. & iuriſconſ. hic, quia priuatum ius, quod à publico iure diſtinguit, id eſſe dicit, quod ad ſingulorum vtilitatem ſpectat: & ſubiungit, ſunt enim quædam publicè vtilia: quędam pritim. publicum à priuato ſimili modo diſtinguere videntur, vt iuriſconſ. de noui oper. nũt. in c. 1. §. 10. de interdict. in c. 1. & in c. 2. §. 1. de iniur. in c. 14. de munerib. & honor. in c. 14. §. 1. & ſecundum hæc, quod ad ſingulorum vtilitatem pertinet, cum eo quamuis publica ſit vtilitas coniuncta vt iuriſconſ. infra in c. 7. §. 1. priuatum tamen dici iuriſconſ.

de-

declarat de procuratoribus in cap. 42. §. 1 frequenter tamen varijs rationibus & hoc ius publicum appellari solet.



§. Pri-

§. Priuatum ius tripertitum est. Collectum enim est ex naturalibus preceptus, aut gentium, aut ciuilibus. Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nã ius istud non humani generis proprium; sed omnium animalium, quæ in terra mariq. nascuntur: auium quoq. commune est. Hinc descendit maris atq. fæminę coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cętera quoq. animalia, feras etiam istius iuris peritia censeri.



E legibus Aristoteles in rhetoricis alias naturæ, easq. omnium cõmunes esse, omnesq. eas sentire; alias vtentium proprias: earumq. alias scripto, alias sine scripto in vsum receptas esse scribit. Aequitatem atq. ius similiter M. Tullius in topicis distribuens propè finem ita scribit, cum de æquo & iniquo differitur, æquitatis loci colliguntur; hi cernuntur bipartitò & natura & instituto. & Paulò mox, iuris partes tam expo-

expositæ, cum æquitatis. quibus ex verbis colligimus, quod æquum idem ius, eorum fontem æquitatem appellare. Idem in rhetoricis semel ac iterum ex quibus jus constet, expositurus sic ait, initium eius ab natura ductum videtur; quædam autem ex vtilitatis ratione aut perspicua nobis aut obschura in consuetudinem venisse; post autem approbata quædam aut à consuetudine aut vero vtilia visa legibus esse firmata. Apud ipsos vero populos Aristotele teste in primo ethicor. ad Nicomacum in tertio capite, honesta ac iusta tantam varietatem atq. discrepantiam habent, vt lege dumtaxat, non autem natura constare videantur. eaq. ratione sic aliquibus ea visa fuisse idem Aristoteles testatur in quinto ad eundem libro in septimo capite, vbi hac explosa opinione, à iure naturæ cur in plerisq. abscedat vsus? cur etiam pro omnes populos tam varia diuersaq. jura condita videantur? vtriusq. rationem exponit. eiusq. dictis congruenter Boethus quodam loco sic ait, quæ sunt iusta ac bona ad positionem omnia, naturam vè referuntur, & subiungit, ciuile ius atq. ciuile bonum positione est, non natura. Naturale vero bonum atq. iustum apud omnes gentes idem est. Idem Boethus in libello de diffinitione ita scribit, M. Tullius in topicis ius ciuile voluit diffinire, & vt oportuit,

cæpit

cæpit à genere, dixit enim in principio ius ciuile est æquitas, hoc iuris genus est. Sed quoniam eadem æquitas nunc constituta est, nunc naturalis: ius autem ciuile æquitas est ab hominibus instituta, ideo adiecit, ius ciuile est æquitas constituta. Posito genere, adiecta spetie, spetiem aliam separauit scilicet naturalem. Sed quoniam etiam ius gentium æquitas constituta est, & non est tamen ciuile, adiectum id, quod separare potuisset ius gentium: his inquit M. Tullius, qui eiusdem ciuitatis sunt: qua specie interposita ius ciuile descripsit. est etiam num, quod cum altero possit esse commune hoc ipsum, quod supra dictum est vniuersum: etenim religionum iuri & sacrorũ omnium conuenit: namq. ius religionum æquitas est, & constituta æquitas, & his omnibus, qui eiusdem sunt ciuitatis. Sed illud non appellamus esse ciuile, quod est pontificum, hoc igitur vt posset excludere, & ius ciuile vsq. ad proprium diffinire, adiecit ad res suas obtinẽdas. hæc Boethi verba sunt. ex quibus id quod supra diximus confirmatur, ius ciuile à Cicerone, quod ius priuatum à iuriscons. hic, dictũ esse. A Natura porrò nullum ius profectum esse alij rursus denuò defendere voluerunt: eorumq. opinionem Horatius ab illa de humani generis ortu, quam Lactantius irridet Diuinar. Institution. in libro primo cap. 11. & sequenti,

quenti, in his exorditur versibus.

Quis paria esse ferè placuit peccata, laborant
Cum ventum ad verum est: sensus moresq. repugnant,
Atq. ipsa vtilitas iusti propè mater & æqui
Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus glandem atq. cubilia propter
Vnguibus & pugnis, dein fustibus, atq. ita porrò
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus.
Donec verba, quibus voces, sensusq. nocarent:
Nominaq. inuenere. dehinc absistere bello:
Oppida cæperunt munere: & ponere leges:
Nè quis fur esset, neu latro, ne quis adulter.
Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est:
Tempora si, fastosq. velis euoluere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum:
Diuidit vt bona diuersis fugienda petendis.

A Natura generi animantium omni M.Tullius in libro primo officiorum hæc esse tributa scribit, principio vt se vitam corpusq. tueatur: declinetq. ea, quæ nocitura videntur: quæq. sũt ad viuendum necessaria inquirat, & paret: vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. deinde commune animantium omnium est cõiunctionis appetitus procreandi caussa, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Alibiq. dicit, cum sit hoc natura commune animantiũ vt habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio: proxima in liberis. A natura vero ius qui philosophi vel oratores repetunt, in hominum genere id inesse ponũt.

itaq. ex ipsis iurisconsultis Vlpianum hic animantium in omni genere iuris principia quædam esse perhibentem Laurentius Valla reprehendere in libro quarto elegantiarum audens ita dicit, naturale ius dicere, quod natura omnia animalia docuit, ridiculum est: appetitum coeundi atq. adeò nocendi imbecilliori animali, spoliandi, occidendi quis ius esse dixerit? Sed certè Vlpiani mentem is non intellexit. Nam ius naturæ cum dicatur, quo viuere debemus, ac honesta probaq. à contrarijs diuidimus, non aliter iurisconf. accepit, cuius ea sententia fuit, ex his, quæ animantium in omni genere natura insita videmus, eiusdem institutionem quandam nos intelligere, quæ cum ipsius naturæ lex perennis atq. perpetua sit, ex ea quadam honesta ne an turpia sint, nos cognoscimus: eaq. iuris nomine donatur. Non ergo quod ex bestiarum propria, sed ex quadam cũ illis nobis communi natura quod hauritur, id naturæ ius appellatur. Sed imbecilliori insidiari atq. nocere non omnium commune, sed bestiarum id proprium est: nam homines eo natura prohibet. Ita ex his, quæ animantium natura præ se fert, iuris naturalis ea tantum esse dicentur, quæ hominibus vi rationis à natura haud inhibita sunt: nam quibus homines naturalis ratio prohibet, quoniam illis ea iuris esse desinunt, neq. animantium

omni

omni generi communia, neq. iuris naturalis esse dicentur. Quo vero iure mutorum grege non antecellimus, id non humani generis proprium, sed omnium animantium, quæ eius peritia censentur, commune ius dictum esse; absurdum cui videbitur? Hinc maris atq. feminę coniugationem descendere Vlpianus dicens, quam nos matrimonium appellamus, quia sentijt, maris atq. feminæ eam solam coniunctionem huius naturalis iuris esse, quam nos matrimonium appellamus: vagos hominum atq. mulierum concubitus excludere voluit, quæ matrimonia rectè vocari non possunt; cũq. his nobis iuregentium interdictum sit; secundum ea, quæ diximus, neq. iuris naturalis esse dicentur. & matrimonium quæ in coniugio sotietas est appellatum videtur, eam à communi animantium natura Cicero exorsus est, naturalisq. iuris esse probè dicimus: nam quorum animantium alter masculus est, altera femina, eorum quoniam vterq. sine altero inhabilis ad procreationem, debilis est: ipsorum maris atq. feminæ conciliationem quidem procreandi caussa in beftijs quoq.' sotietatem vero maiorem vsq. ad quoddam tempus ex ipsis bestijs in quibusdam videri Aristoteles declarat in primo politicor. & plenius in œconomico. apud quem quod Leonardus Aretinus inquit, principium ergo coniunctionis in ho-

minibus est à natura, forma vero est à lege & ratione, quod matrimonium appellatur. Vlpiani dictis hic apertè contrarium est. quin & Lactantius in libro tertio diuinarum institutionum inquit, nam volucres penè omnes faciunt matrimonia & paria iunguntur &c. quibus ex verbis bestiarum quoq. matrimonium à Theophilo probè dictum videtur institution. de iure natur. gent. & ciuil. in principio. quibusdam vero id perabsurdum visum fuit. Sequenti loco ex his Ciceronis, quę supra relata sunt, Vlpiani, qui liberorum quoq. procreationem huius iuris subgerit exemplis, sententiam hanc esse colligimus, huius iuris id esse praeceptum, vt liberis promiscuam dent operam ad rem cum deueniunt coniuges; ac ipsis quia liberorum procreatio curae esse debet, ab illa eam rem vacuam facere nefas esse. Porrò ex his cum appareat, secundum naturam ex coniugio liberorum procreationem non autem corporis voluptatem expetere vtrumq. coniugum oportere, quod iurisconſ. dicit de verbor. significat. in c. 220. §. vlt. nisi per coniugationem maris atq. feminae eam, quam diximus, intelligeremus: praeterea liberorum procreationem huius iuris exemplis malè Vlpianus adijaceret: rectiusq. Theophilus ex his vnam tantum in ea refert. eiusq. iuris institutionis ratio colligitur, quo nuptijs quibusdam inter-

dictum

dictum est, haudquaquam naturali iure prohibitis: quippe cum non ad liberorum procreationem tantum, verum etiam ad voluptatem corporis aut libidinis expletionem coniugiū adhiberi soleat, quod secundum ius naturale non est; ab hoc illud recedere non videtur. In postremo quod Vlpianus affert huius iuris exēplum, de educatione non omnium, sed tantū infantium liberorum loqui eum intelligimus. nam infantium suorum curam in bestijs quoq. videmus: cum vero adoleuerint ex se natos amplius illæ non agnoscunt. & hic de iure loquimur, cuius peritia omnia censentur animalia. Non omictimus Vlpianus ex verbis matrimonium vnde dictum sit, quosdam elicere: qui non ab eo dictum putant, quod per sequētem liberorum procreationem femina mater fiat: sed eis ipsa potius maris atq. feminæ coniugatio cum feminini generis sit, sicut terra, ex qua fructus omnes nascuntur, mater dicta videtur. eamq. matrimonium appellari Vlpianus hic testis est.

§. Ius gentium est, quo gentes humanæ vtũtur. quod à naturali recedere, licet facilè intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est.



E quo Vlpianus hic loquitur, iusgentium licet oratores, & iurisconſ. pariter appellent, à naturæ tamen iure ex illis quem viderim, nemo distinguit, nisi solus Vlpianus hic: Itaq. iusgentium istud naturale quoq. ius frequenter appellatur. Vlpiani vero ea sententia fuit, naturæ quoddam ius, de quo dictum est, quoniam à communi omnium animantium natura trahitur, ius gentium nõ appellari. Aliud vero quoddam à communi hominum natura ductum ius gentium atq. ius naturale dictum esse. Ab hoc autem, quo à natura bestiarum hominum natura procul abest, quod ius gentium sæpè distinguitur, id quoniã instituto partum est, rectè haud quaquam ius naturale vocatur. Naturæ qui legem appellãt, iuris principia rectè ab illa repetere M. Tullius in primo de legibus præfatus, eius ab his traditam diffinitionem sic exponit, lex est ratio

summa

ſumma inſita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, & prohibet contraria: eadem ratio cum eſt in hominis mente confirmata & confecta lex eſt. itaq. arbitrantur prudentiam eſſe legem: cuius ea vis ſit, vt recta facere iubeat; vetet delinquere: eamq. rem illi græco putant nomine à ſuum cuiq. tribuendo appellatam. ego noſtro à legendo. nam vt illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrumq. legis eſt. quod ſi ita (ſubiungit) rectè dicitur, vt mihi quidem plerunq. videri ſolet: à lege ducendum eſt iuris exordium. ea eſt enim naturæ vis, ea mens ratioq. prudentis: ea iuris atq. iniuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio: populariter interdum loqui neceſſe erit, & appellare eam legem, quæ ſcripto ſancit, quod vult, aut iubendo aut vetando vt vulgus appellat. Conſtituendi verò iuris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quæ ſeculis compluribus ante nata eſt, quam ſcripta lex vlla, aut quam omnino ciuitas cõſtituta. Idem in libro ſecundo ita ſcribit. Hanc video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neq. hominum ingenijs excogitatã: neq. ſcitum aliquod eſſe populorum: ſed eternum quiddam, quod vniuerſum mundum regeret, imperandi prohibendiq. ſapientia. ita Principem legem illam, & vltimam mentem eſſe di-

cebant, omnia ratione aut cogentis aut vetātis Dei ex qua illa lex, quam Dij humano generi dederunt, rectè est laudata. est enim ratio mensq. sapientis ad iubendum & ad deterrendum idonea. Hanc homines, cuius cætera animantia expertia sunt, à Deo legem accepisse, Hesiodus his versibus expressit.

Humano generi namq. lex est ab Ioue lata.
Pisces atq. feræ volucresq per aera nantes
Sese edunt, cum illis vlla haud sit notio iuris.
Ast hominum generi iustum est res, quæ optima cessit.

Eiusdem legis hanc Cicero definitionem protulit in libro tertio de repub. Est quidem lex recta ratio naturæ cōgruens diffusa in omnes: constans sempiterna. quæ vocet ad officium, iubendo, vetando à fraude deterreat: quæ tamen neq. probos frustra iubet aut vetat: nec improbos iubendo aut vetando mouet. huic legi neq. propagari fas est. neq. derogari ex hac aliquid licet: neq. tota abrogari potest: nec vero aut per Senatum aut per populum, solui hac lege possumus. neq. est quærendus explanator, aut interpres eius alius. nec erit alia lex Romæ, alia Athenis: alia nunc, alia post hac. Sed & omnes gentes, & omni tempore, vna lex & sempiterna & immutabilis continebit. vnusq. erit communis quasi magister & Imperator omnium Deus. ille legis huius inuentor,

uentor, disceptator, sator. cui qui non parebit ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatur. hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplitia, quæ patitur, effugerit. hæc Ciceronis verba, cuius de repub. libros non habemus, Lactantius refert diuinarum institution. in libro sexto capite octauo, vbi his ita subiungit, quis Sacramentum Dei sciens tam significanter enarrare legem Dei posset, quam illam homo longè à veritatis notitia remotus expressit? Hac de lege Chrisippus loquitur, quæ iuriscos. reponit de legib. in c. 2. De natura Iuuenalis loquens in satyra 15. Separat (inquit) hæc nos.

A grege mutorum: atq. ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumq. capaces.
Atq. exercendis capiendisq. artibus apti.
Sensum à cælesti demissum traximus arce.
Cuius agent prona, & terram spectantia: Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas. Nobis animum quoq. mutuus vt nos
Affectus petere auxilium & præstare iuberet.


Ex ea naturæ lege, de qua Cicero loquitur, quod ius venit, de eo ipsius Ciceronis in illo tertio de repub. dictis congruenter Imperator institution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. penult. ita scribit, sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes peræquè obseruantur, diuina

diuina quadam prouidentia constituta, semper firma & immutabilia permanent. Ac ex his illud constat, quod Gratianus sui operis in capite scribit, naturale esse, quod sacrarum literarum in his præceptis expressum est, quæ moralia vocant. & iterum in calce nonę distinctionis, in iure naturali nihil aliud, quam illud esse, quod Deus iubet atque vetat.



11. Pomponius lib. singulari Enchiridij.

Veluti erga Deum religio. vt parentibus, & patriæ pareamus.



OMINIS à natura Cicero in libro primo de legibus, quo loci à summo Deo generatum esse profitetur: duas repetit iuris partes, vnam ad Deum: alteram ad homines pertinentem. Atq. de eo loquitur in rhetoricis semel ac iterum natura ius esse dicens, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit. vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Hæc inquam cum in bestias non cadant, id apud Ciceronem ibi ius naturæ dicitur, quod Vlpianus ab illo distinguens, quod omnium animalium commune esse cõsiderat, ius gentium vocat. Horum ex his, quas subiecit Cicero diffinitiones, nos selegimus istas. Religio est, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam Diuinam vocant, curam cerimoniamq. affert. Pietas, quæ erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine coniunctos officium conser-

uare

uare moneat. Gratia, in qua amicitiarum, aut officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Obseruantia est, per quam etate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur, & colimus. Veritas est, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmauerimus fiat, aut factum, aut futurum sit. Inprimisq. naturæ lege Dei culturam hominibus innatam esse, idem Cicero in libro primo Thusculan. his verbis ostendit. Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Dijs praué sentiunt (id enim vitioso more effici solet) omnes tamen esse vim & naturam Diuinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus, omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est. Alijs ethnicorum de religione falsis opinionibus explosis, humanitatem hac vna re aliorum animantium à natura longius abesse Lactantius ostendit diuinarum Institution. libro tertio capite decimo. & rursus in libro de ira Dei capite septimo & in pluribus sequentibus. Quos vero Deos falsò putauerũt ethnici, eorum culturam falsò religionem nuncupasse: Religionemq. veri Dei. Illorum vero culturam superstitionem esse: horum vtriusq.

nominis interpretatione idem Lactantius ostē dit in libro quarto capite 28. Aliud prętereà ius hominum inter ipsos natura constitutum esse M. Tullius in eo de legibus libro primo differens inquit, omnium autem, quæ in homi num doctorum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius, quam planè intelligi nos ad iustitiam esse natos: neq. opinione sed natura constitutum esse ius, id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionéq. perspexeris. A iustitia vero ad quā eos natura dixexit, hominū quia detorta consuetudo videtur, ex qua exoriūtur & cōfirmantur vitia contraria: post hominū naturalem æqualitatē & coniunctioné ostensā ita subiungit. Quod si quomodo est natura, sic iuditio homines huma ni (vt ait poeta) nihil à se alienū putarent: coleretur ius æquè ab omnibus, quibus enim ratio natura data est, jisdē etiā recta ratio data est, ergo & lex, quæ est recta ratio in iubendo & vetando. Si lex, ius quoq. at omnibus ratio, ius igitur datum est omnibus. A natura porrò ius illud profectum esse, qui negant, eorum opinionem Cicero Paulò mox amplissimè refellens, ex illo quæ in rhetoricis exponit, emanare, in hæc verba demonstrat, est enim (inquit) vnum ius, quo deuincta est hominum societas: & quod lex constituit vna, quæ lex est recta ratio imperandi atq. prohibendi: quam qui

ignorat, Al

ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam. quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisq. populorum: & si vt iidem dicunt vtilitate omnia metienda sunt: negliget leges, easq. perrũpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. ita fit vt nulla omnino sit iustitia, si neq. natura est: & ea, quæ propter vtilitatẽ constituitur, vtilitate illa conuellitur. atq. si natura confirmatum ius non erit: virtutes omnes tollantur. vbi enim liberalitas, vbi patrię charitas, vbi pietas, vbi autem benè merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit existere? nam hæc nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligẽdos homines, quod fundamentum iuris est. Idem Cicero in libro tertio de finibus, ita scribit. quemadmodum igitur membris vtimur priusquam didicimus, cuius ea vtilitatis caussa habeamus: sic inter nos natura ad ciuilem communitatẽ coniuncti & consociati sumus. quod ni ita se haberet, nec iustitiæ vllus esset, nec bonitati locus. & quomodo hominũ inter homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil iuris esse cum bestijs. præclarè enim Chrisippus cętera nata esse hominum caussa & Deorum. eos autem cõmunitatis & sotietatis suæ: vt bestijs homines vti ad vtilitatem suam possint sine iniuria. quoniamq. ea esset natura hominis vt cum genere

humano

humano quasi ciuile ius intercederet, qui id conseruaret eum iustum, qui vi ageret, eum iniustum fore. Atqui ad Herennium autor in libro tertio quia dicit, Natura ius est, quod cognationis aut pietatis caussa obseruatur; quo iure parentes à liberis, & liberi à parentibus coluntur, earum opinionum aliquam ibi excepisse videtur, quas idem Cicero in tertio officiorum libro reprehendit in hæc verba, Nã illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos commodi sui caussa: aliam rationẽ esse ciuiũ, aliam reliquorum. hi sibi nihil iuris & nullam societatem communis vtilitatis caussa statuũt esse cum ciuibus: quæ sententia omnem societatem distrahit ciuitatis. qui autem ciuium rationem dicunt esse habendam, externorum negant. hi dirimunt communem humani generis societatem, qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur. De quo tamen autor ille ad Herennium loquitur, id quidem naturæ ius ab eo differre, quod omnium animantium commune esse Vlpianus exponit, nemo non videt: in hoc enim plusquam in illo primum quidem est, quod officium filij parentibus, quodq. parentes filijs in perpetuũ præstare debeant. eoq. remotus ab illo cognationis ius est. nam & in ciconijs pietatem erga parentes inesse præter alios perhibet Ambrosius

fius in exam. Elianus lib. 15. cap.4. Ad omnes autem homines natura pariter constitutũ esse ius, id quod humanitatis ius appellatur, Cicero in libro quinto & vltimo de finibus Pisonẽ Academicum his verbis differentem inducit, In omni autem honesto, quod per se expetendum dicimus, nihil est tam illustre, nec quod tam latius pateat, quam coniunctio inter homines hominum, & quasi quædam sotietas & communicatio vtilitatum, & ipsa charitas generis humani: quæ nata à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus coniugio & stirpe coniungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitijs, post vicinitatibus cum ciuibus, & ijs, qui publicè sotij atq. amici sunt, deinde totius complexu gentis humanæ. quæ animi affectio suum cuiq. tribuens, atq. hanc, quam dico societatem coniunctionis humanæ munificè & æque tuens iustitia dicitur. cui sunt adiunctæ pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæq. sunt generis eiusdem. Atq. hæc ita iustitiæ propria sunt, vt sũt virtutum reliquarum communia. nam cum sic hominis natura generata sit, vt habeat quiddã innatum quasi ciuile atq. populare, quod Greci politicon appellant: quidquid aget quæq. virtus, id à communitate, & ea, quam exposui, charitate atq. societate humana non abhorrebit.

horrebit. hæc ille. Porrò autem in eorum disputatione conuellenda, qui naturale ius, naturalemq. iustitiam esse negant: ad verum Lactantius proprius accessit Diuinarum Institution. libro quinto cap. 15. & ex in pluribus sequentibus; ac iterum in principio Nephitomæ. Iustitiam vero quæ procreauit, eius totius humani generis communis hominum conciliationis atq. societatis gradus ipse Cicero in libro primo de officijs distinguens, Actior vero (inquit) colligatio est societatis propinquorum. & infra, sanguinis coniunctio & beniuolentia deuincit charitate homines. Aristotelis quidẽ ea sententia fuit in libro octauo ad Nicomacũ in extremis verbis, filio patrem abdicare nefes esse; contra vero patri fas esse abdicare filium. Nam qui semper debet, eum reddere semper oportet: in eaq. filius caussa est, vt paria facere numquam possit. Cui vero debetur, vt patri, dimictendi potestas est. nisi vero prauitate filius exuperet, fortè nec à patre destituetur, cum præterea id humanum sit, auxiliũ non denegare. ei vero fugiendum est, aut non studendum opem ferre, si sit prauus. beneficia siquidem accipere pleriq. volunt: conferre vero nonnulli vt quid inutile detrectant. natura porrò erga parentes pietatem esse iurisconf. ponit sub tit. de obseq. parent. & patro. præstan. c. 1. eam naturæ legem Imper. appellat

in auth. collat. 4. sub tit. de nupti. §. optimè vero &c. Idem Aristoteles in libro nono ad Nicomacum autor est, parentibus præcipuè necessaria vitæ subsidia deberi; eaq. illis cum sint generationis autores honestius esse, quam nobis ipsis afferre. ea illis deberi iurisconf. docet etiam sub tit. ad Senatusconf. Trebell. c. 50. ac illud quod ratio naturalis efficiat iurisco͂s. affirmat sub tit. de liber. agnos. c. 5. §. parens &c. eorumq. dictis adde quæ Imperat. statuit in auth. coll. 2. in principio de incest. nupti. in vers. si vero contingerit &c. & inferius in §. 1. vers. sed si qui fuerint &c. omnibus quoq. his indigentibus liberis alimenta præstare parentes, quibus facultas est, naturæ præceptum esse Imperator sentijt, qui per naturam hoc de quo loquimur ius intelligit. (sub tit. de rei vxor. act. in §. taceat, in vers. sileat &c. de bon. quæ liber. &c. in vlt. const. §. ipsum autem filium vel filiam &c. Naturali iure quod scilicet ius gentium vocant cognationes esse iurisconf. tradidit sub tit. de gradib. & affin. c. 4. §. cognationis substantia &c. Imperat. Institution. de legit. agnat. tut. in princip. & in §. vlt. in & tit. de hæred. quæ ab intest. defer. §. minus &c. & (sub tit. de adoption. c. 10. §. 1. Obseruantiæ, quam supra vidimus, à Cicerone tradita diffinitio ex his desumpta videtur, quæ Plato scribit in dialogo tertio de legibus. & Stobeus refert in Sermon.

mon.42.is enim ſcribit, primam dignitatis re-
ctam rationem eſſe, vt genitores vbiq. natis
iperent. Secundam vt ignobilibus generoſi,
Tertiam vt iunioribus ſeniores. Quartam vt
domini ſeruis, Quintam vt potentioribus im-
becilliores ſeruiant. Sextam quidem & omniũ
maximam eſſe, per quam ſecundum naturam
ignorantes ſequi iubentur: prudentes autem
ducere ac dominari. Ac patri quidem in filios,
auoq. in nepotes imperium natura tribui Ari-
ſtoteles quoq. voluit in libro ad Nicomacum
octauo: ad Eudemium ſeptimo. & iuriſconſ. ſub
tit. de verbor. ſignificat. c. 195. §. 2. in eoq. de-
calogi præcepto honora patrem tuum & ma-
trem tuam: id etiam eſſe, vt parentum imperio
filij ſubiaceant. Apoſtolus ſcribit ad Epheſios
c. 6. ad Coloſſens, cap. 3. his adde, quod Imper.
ait Inſtit. in principio de nupt. Rurſus quod
ſenioribus adoleſcentes ſubiecti ſint, id quod
etiam Diuus Petrus admonet, naturæ ordinem
eſſe Ariſtoteles conſentijt in lib. 7. polit. cap.
14. eiq. Imper. conſonans eſt Inſtit. in tit. de
Attil. tut. §. impuberes autem &c. Non idem
vero in liberos ac in ſeruos imperium ordina-
tum eſſe Ariſtoteles ex his, quæ in libro ad Ni
comacum octauo ſcribit, in politicis quoq. ſe-
pius declat. ex eoq. apud Pœrſas, quia filios
ſeruis pares faciunt, in filios huiuſmodi impe-
rium prauum & à natura alienum eſſe dicit.

Rursus patres atq. matres & cæteros, quos re uereri & colere debemus: dignitate dispares esse. idem Aristoteles declarat in lib. 10. ad Nicomacum. quod autem ad pietatem attinet, æqualem atq. patri & matri quoq. deberi. Vlpianus affirmat in tit. de curat. furios. c. 4. in ea quæ sint Triphoninus declarat in tit. de obseq. parent. & patron. præst. c. 10. Imper. in tit. de testam. manumiss. c. 7. Varias præterea philosophorum opiniones de hoc, quod parentibus tribuitur, Imperio: Gellius refert in lib. 2. cap. 7. Nulli tamen eorum, quibus subiecti esse debemus, in his obtemperandum esse, quæ præcipere Dei lege prohibentur: ex multis Gratianus probat. 11. q. 3. c. non semper & compluribus sequentib. Gratiam in exemplis iuris naturalis eius, quod ius gentium quoq. vocatur: Theophilus reponit etiam Institution. in titul. de iure nat. gent. & ciuil. §. 1. eius pars est, quod iuriscons. scribit in tit. de petition. hæreditat. c. 28. §. consuluit &c. de reliquis infra videbimus. Veritas, per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. iuris naturalis meritò pars esse dicitur. Nam societatis, quam inter homines natura constituit, cum oratio conciliatrix sit, ea ne fallat, naturæ præceptum esse licet facile intelligere;

III. Florentinus libro primo Inſtitutionum.

Vt vim atq. iniuriam propulſemus. Nam iure hoc euenit, vt quod quiſq. ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur. Et cum inter nos cognationem quanda natura conſtituit: Conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe.



IN vindicatione iure naturæ quæ ſint, Cicero declarat in topicis, nam prope finem, æquitate bipartita ſubiungit, Natura partes habet duas, tuitionem ſui: & vlciſcendi ius. idem in rhetoricis, vindicationem eſſe dicit per quam vim & contumeliam defendendo aut vlciſcendo propulſamus à nobis & à noſtris, qui nobis chari eſſe debent: & per quam pecca punimus. idem officiorum in libro primo ſcribit, iuſtitiæ primum munus eſt, vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. & rurſus in libro tertio, virum bonum eum eſſe, qui proſit quibus poſſit, no-

ceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Hæc autẽ sic nos intelligimus, ei, qui lacessitus iniuria fuerit, quo se defendat, ei nocere, qui vim & iniuriam infert, eadem naturæ lege permissum esse, qua vis & iniuria prohibetur: qua de re idem Cicero hæc in oratione pro Milone verba facit, est iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum aut inimicorum incidisset; omnis honesta ratio esset expediendæ salutis: silent enim leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare velit, ante iniusta pæna luenda sit, quam iusta repetenda. & infra subiungit, sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, vt omnem semper vim quacunq; ope possent à corpore, à capite, à vita sua propulsarent, non potestis hoc facinus improbum iudicare. Atq. hoc modo, quam Cicero supra dictis adiecit, illa clausula, nisi lacessitus iniuria: ea reprehensione caret, quam habere Lactantius notat Diuinarum Institutionum libro sexto in cap. 18. Hoc vero cum animantium omni generi à natura tributum sit, vt se ipsa diligant, atq. tueantur; & in bestijs qui-

busdam

busdam id amplius appareat, vt ex se natas quoq. ad quoddam tempus ament: & pro his bellantur. vt vī & iniuriā propulsemus, cur nō omnium animalium communis naturæ sed iuris gentium adscribatur in exemplis: non nulli quærunt. porrò qui Florentinum excusantes Tribonianum erroris insimulant, hi de humanitatis iure Florentinum loqui non viderunt. Alij quidam ius gentium id naturæ ius vocatū intelligentes, quod vsu quoq. receptum & con stitutum est: huic quod dictum est, adscriptū fuisse dicunt, eo quod gentes ex naturali & innato iure obseruent, vt qui vim vi repulit, non puniatur. Sed certè liberorum procreatio & educatio pariter apud omnes gentes in vsum recepta est: non huius tamen, sed communis omnium animantium iuris annumerantur exēplis. Nos iam supra diximus ex iurisconsultis Vlpianus solum, naturæ iure bipartito, id à iuregentium separasse, quod ex communi omnium animantium natura ducitur à cæteris ius gentium omne illud appellatum esse, quod ius naturale vocant. Amplius vero dicimus, quod cum illud quidē ius, quo vis prohibetur, non ōniū ianimantiū cōmune, sed hominū proprium sit: eiusq. transgresfio iniuria vocetur, eadem ipsa lege, quam transgredimur inhibita: solum ex eodem hominū iure proprio vim per iniuriam inferri, quæ in bestias non cadit;

& iure eam repelli nos intelligimus. id humanæ societatis ius est, ex qua iustitiam expositã esse, supra vidimus. eamq. Florentinus cognationem hic verius appellat, quando enim facti ab vno Deo & orti ab vno homines sumus, omnes cognationis iure nos contingi. Lactantius probat Diuinarum Institutionum lib. 6. cap. 10. Nephytomon cap. 4. eiusq. iuris rationem naturalem rationem iurisconf. vocat, ea, quod hic Florentinus ait, permissum esse dicens in tit. ad leg. Aquil. c. 4. nec aliud per naturam iurisconf. intellexit in titul. de vi & vi armat. c. 1. §. 16. In vindicatione quod præterea Cicero ponit, vt vim & contumeliã à nostris quoq. propulsemus, qui nobis chari esse debent, quomodo intelligendum sit, officiorum in illo libro primo in hæc verba declarat, iniustitiæ duo genera sunt, vnum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab his, quibus infertur, si possunt non propulsant iniuriam. Nam qui iniustè impetum in quempiam facit aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus violenter videtur afferre sotio. Qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ: tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriã deserat. & his Ciceronis dictis Ambrosius consentijt in suis itidem officiorum libris. hæc autem an cum eo iure congruant, quod in sacris literis nobis traditum est, Gratianus

amplè

amplè differit in 23.q.1. Ambrosij vero dicta reponit in eiusdem 23.q.3. cap. 7. Atqui sui ipsius tuitionem sine peccato quemque omittere posse Hieronymus affirmat super Ionam prophetam, cuius verba Gratianus refert in eiusdē 23.q.5.c.12.non est nostrū &c. simileq; horū est eiusdē 23.q.4 c.si is,qui p̄latus &c.Deinceps quod dictum est, secundum eandem naturæ legem,quam is violauit, quem vlciscimur, vlciscendi ius esse: quemadmodum intelligendum sit, idem Cicero declarat in illo de offitijs libro primo ita scribens, sunt autem quædam offitia etiam aduersus eos seruāda, à quibus iniuriam acceperis: est enim vlciscendi & puniendi modus. vtrumq; vero in libro secundo his verbis complexus est, quibus cum congregamur, per eos, si quid nobis importetur incommodi propulsemus,vlciscamurque eos, qui nobis nocere conati sunt: tantaque pœna afficiamus, quantum æquitas humanitasque patitur. Vlciscendi sanè modum hunc sentijt esse,vt per eos,qui cōmunis vtilitatis curam gerunt,quis eum,qui sibi nocuit, vlciscatur. Nam sine iudice, quæ fit vltio non vtilitatis communis sed potius alteri nocendi studio, quia hoc iure naturæ non permittitur, iniuria atque peccatum in ea inest. cumque neque peccata peccatis, nec iniurias iniurijs vlcisci permittendum sit: omni iure ea prohibita esse dicitur in tit. ad leg.Aquil.c.46.

§.vlt.

§.vlt.Puniendi vero modum hunc in illo primo libro Cicero tradidit, omnis animaduersio & castigatio contumelia vacare debet, neque ad eius, qui puniet aliquem, aut verbis castigat: sed ad reipublicæ vtilitatem referri. Cauendum est etiam, ne maior pœna, quam culpa sit; & ne iisdem de caussis alijs plectantur, alij ne appellentur quidem. Natura non solum homicidium, de quo vidimus: sed etiam adulterium, furtumque turpia haberi, & vetari iurisconf. dicit in tit. de verbor. significat. cap. 42. atque Theophilus institut. in tit. de iure nat. gent. & ciuil. §. 1. eius iurisgentium exemplis, quod ex naturæ lege prouenit, hæc item annumerat, homicidas interfici: Adulterum puniri: Furem pecunia mulctari, quoniam & in pecunijs nos lesit. quæ vero Cicero (vt diximus) peccatorum vindici præcepta tradidit Imperator eleganter excepit in authent. collat. 9. tit. 9. vt nulli iudi. &c. in §. quoniam vero &c.

Hæc vero, quæ dicta sunt, an eo iure mutentur, quod in sacris literis nobis Christianis traditum est: Gratianus passim in omnibus 23. caussæ quæstionibus amplè differit.

IIII. Vlpianus libro primo Institutionum.

Manumissiones quoque iurisgentium sunt: est autem manumissio de manumissio, id est datio libertatis. Nam quandiu quis in seruitute est, manui & potestati suppositus est: manumissus liberatur potestate. Quæ res à iuregentium originem sumpsit; vt potè cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita. sed posteaquam iuregentium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis. & cum vno naturali nomine homines appellaremur, iuregentium tria genera esse cœperunt, liberi, & ijs contrarium serui, & tertium genus liberti, id est hi, qui desierunt esse serui.

QVo iure aliorum animantium naturam communis hominum natura præterit; de quo dictum est. id quia non à vita hominum, quam agitauerunt à principio, sed à quadam

potius

potius viuendi norma, quam vi rationis ipsis natura tradidit, vt obseruarēt: repetendum est. Ab eo quod ius gentium distinguitur, id viuendi quædam disciplina est, cui humanarum gentium vsus initium attulit. eoque iam tum vti cœperunt, cum primum in populos conducti fuerunt homines. Nam tempus quoddam fuisse fertur, quo neque moribus, neque lege aut imperio cuiusquam vtentes in agris dissipati, & in syluis vagam agitauerunt vitam. id apud quos narratur illorum congregationis variæ afferuntur caussæ. eorum huiusmodi vitam, & congregationis auctores Cicero commemorat in principio rhetoricorum, & in oratione pro sextio tribuno plebis. idem in secundo officiorum, hanc ob causam (inquit) maxime vt sua tuerentur, respublicæ ciuitatesque constitutæ sunt: nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiæ rerum suarum, vrbium præsidia quærebant. De hominum congregationis exordio quæ cæteri dicunt, plenius Lactantius refert, & irridens diuinarum Institutionum lib. 6. cap. 10. Ac eo quidem iure si vixissent homines, quod eis à natura inditum fuit, eis præterea nullo alio opus fuisset, nam quod ius gentium ipsarum postea irrepsit in vitam, ei quæ necessitates initium attulerunt, illæ quidem iam tum inuaserunt, cum primum à natura præscriptum ordinem perturbare cœperunt homines. eo igitur

tur

tur si vixissent, quod eis ius à natura tributum fuit, necessitates illas haud quaquam experiri cœpissent, ex quibus huius posterioris iurisgentium origo manauit. Horum vtriusque apud Sallustium mentio fit in Iugurtino scribentem, Fit reus magis ex æquo & bono, quam ex iuregentium Bomilcar comes eius, qui Romam fide publica venerat. per æquum & bonum quod is intelligit, id ipsum per æquitatem naturalem Boethus accipiens, cuius verba supra vidimus: ab ea quod iusgentium distinguit, id vsu constitutum esse declarat. Isidorus quoque naturæ ius omne bipartitò ab Vlpiano distributum, vna eademque descriptione complexus, quia dicit illud omnium nationum commune esse, eò quod vbique instinctu naturæ non constitutione habetur aliqua. ab eo quod iusgentium secernit, vsu constitutum esse, non obscurè significat in libro quinto ethymolog. De quo vero iuregentium supra Vlpianus, & Caius infra loquuntur, idipsum apud Ciceronem in libro primo de oratore à iure hominum communi distinctum, aliqui intelligentes; Caij ex verbis omniũ hominum natura commune ius, non vtique generaliter, sed hactenus iusgentium vocari, contendunt, quatenus illud vbique gentium aluit & confirmauit vsus. in ea vero opinione qui sunt, hi certè falluntur; nam quod ius hominum à natura ducitur, quamuis non omne lege vel

more

more constitutum sit, omne tamen iusgentium Cicero sepius nominat in tertio offitiorum, ac de eo loquitur in oratione de Aruspicum responsis ita scribens, hoc si minus ciuili iure perscriptum est, lege tamen naturæ, communi iuregentium sancitum est, vt nihil mortales à Dijs immortalibus vsucapere possint. Atque istud, quod hominum generi a natura tributum fuit, Vlpianus, & Caius pariter iusgentium nominant, eorum ille a iuregentium eam solam iuris naturalis partem diuidens, cuius omnia animalia peritia censentur. Alter vero de quo iure gentium loquitur in huius tit. cap. 9. id cum ipso humano genere proditum fuisse dicens in tit. de acquir. rer. domin. cap. 1. Ad hęc iuregentium quoddam incestum prohibitum esse Papinianus affirmat in tit. ad leg. Iul. de adulter. cap. 38. §. 1. iuregentium vero incestum eos committere, qui ex gradu ascendentium vel descendentium vxores ducunt Paulus declarat in tit. de rit. nuptiar. c. vlt. eodemque iuregentium id eis quoq. prohibitum esse, qui adfinitatis iure parentum atque liberorum loco semel haberi cœperunt Papinianus dicit in tit. de condiction. sine causs. cap. 5. §. 1. hoc vero quod naturæ ius esse Paulus notat in eius de rit. nupt. tit. cap. 14. §. 1. Imper. in authent. collat. 2. in princip tit. de incef. & nefar. nupt. non omnium gentium vsu receptum esse, nam sunt, quæ has nuptias admittunt: testes

sunt

ſunt, Quintus Curtius lib. 8. Ludoui. Cęl. antiquar.lect.lib.10.cap.18. Xanctus in ijs, quæ inſcribuntur magica, cuius teſtimonio Clemens Alexandrinus vtitur in lib. 3. de ſtromat. Duplex ergo omni humano generi commune ius eſt, quod vero per æquum & bonum Salluſtius, per æquitatem verò naturalem Boethus accipit, id quidem naturale ius dictum eſſe iuriſcõſ. oſtendit in huius tit. cap.11. idipſum iusgentiũ quoque dictum eſſe ex iuriſconſ. verbis apparet in tit.de acquir.rer.domi.cap.9. §. hæ quoque res, &c.& Imper.inſtit.in tit.de rer. diuiſ.§. per traditionem &c. Ab hoc vero, quo hominum natura præſtat, quod iusgentiũ Salluſtius, Boethus,& Iſidorus diſtingunt: id quia non a principio humani generis illi à natura datum, ſed vſu & humanis neceſſitatibus poſtea compertũ fuit; non etiam ius naturale vocatur: quin iuri naturali contrarium hoc frequenter eſſe Salluſtius ipſe demonſtrat,& Vlpianus hic, Florentinus in tit.de ſtat.homin.cap.4. Triphonius in tit.de condict.indeb. cap.64. Imperat. inſtit. in tit.de iure nat.gent.& ciuil.in §.ius autem gentium &c.de iure perſon.§. ſeruitus. de libertin. inprincip. At vero Caius, quod ius naturalis ratio conſtituit, id iusgentium nuncupatum eſſe dicit, ſicut ergo id, quod vbique gentium vſu receptum eſt, iusgentium dicitur, quamuis alienum ab illo ſit, quod naturalis ratio decernit:

nit: ita quod à naturali ratione proficiſcitur, iusgentium dicetur, quamuis illud non omnes gentes colant, & obſeruent. & hoc modo Caij ſentētiam Imperator intellexit, qui ſub illo tit. de iure natur.gent.& ciuil.Caij dicta perſcribit in §.ius autem ciuile &c. de illo altero iuregentium id quod vſu & humanis neceſſitatibus cōpertum eſſe declarat, ſeorſum loquitur inferius in illo.§.ius autem gentium &c.idemq. Imper. de quo iuregentium Caius loquitur in illo de acquir.rer.domin.cap. 1 id quidem naturale ius eſſe declarat inſtit.ſub tit. de rer.diuiſ.in §. ſingulorum autem &c. Porrò ex his Ciceronis in libro tertio de republica, quæ ſupra vidimus, quod planè intilligimus, ex naturæ lege quod ius venit, ab eo aberrantibus populorum inſtitutis atque legibus quæ recepta ſunt, iuſta nequaquam eſſe: idem ampliſsimè idem Cicero diſſeruit in libro primo de legibus. Idque Dionyſio Tiranno multò prius (autore Plutarcho in Solone) reſponſum fertur, ciuitatis leges abrogari; naturæ vero leges cogi nullo modo poſſe. Atque de eius partibus, quod cum ipſo humano genere proditum fuit Imperatorem loqui inſt'tut.ſub tit.de iure natur.gent. & ciuil. ita ſcribētem, ſed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes præquè obſeruantur, diuina quadam prouidentia conſtituta ſemper firma, & immutabilia permanent. Gratianus rectè qui-

dem

dem intellexit, qui pariter illud naturale vocat in initio quintæ distinctionis, & in calce sequentis, vbi quod ab eo distinguitur gentium ius, cõ-consuetudinis ius ipse vocat, quo tempore id cœperit ostendens. Ac ex his de hoc naturali iure id nobis persuasum esse debet, quod cum indissolubile sit, illud propter instituta gentium sine peccato transgredi nõ possumus: quod rursus Gratianus affirmat in octaue distinct. §. dignitate, & in calce sequentis. Quippè cum hoc ius nõ vsu fundatum sit, sed illi iuris firmitatem auctoritatemq. in hominum natura insita ratio sola per se tribuat, quæ cum recta ratio sit, eadem lex est, iusq. facit; huic illam contrariusq vsus derogare neque potest: sed ab eo qui abscedit vsus prauus est: rectus ne ergo an prauus vsus sit hoc ipso iure dijudicatur. Hæc autem aliqui sic intelligunt, huius generalia præcepta, vetita, vel permissa instituto iure generaliter immutari non posse; ex his autem eo quædam derogari atque adeò immutari posse rentur, eiusq. opinionis ratio videtur esse, quoniam ex generalibus illis naturæ iussis, vetitis atq; permissis quædam detrahendi probabilis caussa legum latoribus occurrere potest; ex eaq; illud immutari posse contendunt. Alij quidam aiunt, eò quòd naturæ præcepta, vetita, atq; permissa generalia sunt; his quæ vsu veniunt iure dijudicanda singula, vsquequaque dirigi non posse,

eaquè propter iuris naturalis ea generalia, & indeffinita instituto iure determinari necessum esse. Ab his opinionibus Cicero in illo de Repub. libro tertio dissentire videtur, vbi de naturæ lege dicentem supra vidimus, huic neque propagari fas est, neq; derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: neque verò aut per senatum, aut per populum solui hac lege possumus. neque est quærendus explanator aut interpres eius alius. In primisq. de naturæ lege quæ fert opinio, quòd ea singulis, quæ iure dijudicanda sunt minus sufficiens sit: & ex ea quæ præcepta sumuntur, eorum quæ vis atque potestas finisq. sit, nisi instituto declaretur, ex naturali iure satis percipi non potest. ea quidē vera non est opinio, quin huius legis ratio cum recta ratio sit, in eius præceptis vetitis atque permisis quæ sunt, vel non sunt, ea omnia docet, & caussas ostendit, ex quibus ea commutatur, & locum habere desinunt. eaque ratio quod efficit, id naturale ius appellatur. sic ex ipso naturali iure eorum omnium cōmutatio cognoscitur: veraque interpretatio sumitur. Atqui ex naturalibus præceptis atque vetitis quibus ex caussis naturalis ipsa ratio per se nihil immutat: ex his nec instituto quid immutari posse defendimus. hoc amplius in his naturæ præceptis atque vetitis nec ea deputari, quæ ex his, quæ natura præcipere aut vetare cessat: institu-

tio præcipiendo aut vetando detrahit; Ciceronis ex his colligimus. eius enim dicta sic intelligimus in ipsius naturæ præceptis atque vetitis nec ea computari, quæ posteriores leges illis addunt: nec ex his quæ illæ detrahunt, dissui dissoluique posse. Sic in omnibus, quæ naturali iure dijudicari possunt, quod illud efficit, id eorum auctoritate, qui iura constituunnt, aliter disponi non potest. Harum igitur opinionum, quas refellimus, qui priorem confutant, nec posteriorem sequi debent: Nam quia in iure naturali id ius nō cōputatur, ꝙ vero nō aliter, quā in illo sit, constituitur, eo quod determinatur, id naturali iure prius determinatum erat: instituto quidem naturale ius aliter quam per se sit; determinari nullo modo potest. ex quo illud fit à Cicerone dictū, vt huius legis, cuius Deus cōditor est: nec explanator nec interpres alius quærendus sit. eiusque regula omne aliud institutum ius an æquum vel iniquum sit, examinatur. Atque tandem instituti iuris rationem non eam esse dicimus, quod sine ipso ex naturali iure, quibus exequendis rebus naturæ præceptis satisfacere possumus, satis intelligi non posit. sed illam potius, quod cum ab his naturæ præceptis hominum detorta cōsuetudo sit, quo iure ea reparanda est, metū legum firmari debet: cumque illa, quoniam insanabilis est, ad naturæ normam omnino redigi non posit: quo ea re-

paratur, id à naturæ iure neque in totum recedere: nec ei per omnia seruire debet. Imperator Leo in exordio suæ constitutionis quinquagesimæ primæ sic ait, Bonum sanè atque salutare esset, si diuinis salutiferisq; more gereremus legibus. Minimè enim tum humanis indigeremus, illarumque luce tutam viam commostrante, humano ex legibus auxilio nobis non esset opus. Verum quoniam cœno atque luto omnes emergere, diuinis præceptis in cęlum tollentibus eleuari difficile est. humano generi salutem etiã humana prudentia p leges suas adinuenit. Igitur in priscos Romanos, quod est à Sallustio dictũ ius bonũq; apud eos non magis legibus quã natura valebat, id ad iustos, & bonos viros trãsferendum est, vt apud eos ius bonumque non magis legibus, quam natura valere debeat. omnique instituto naturale ius melius, æquius, ac perfectius esse iurisconſ. testem adhibemus in huius titul. cap. 11. & Imperat. sub titul. C. de vet. iure enuclean. §. sed quia diuinæ quidem res, &c. His de iure cognitis, quod ex naturæ lege venit. Illius alterius, quod ex ipsis gentibus natum postea fuisse diximus, quæ Hermogenianus affert exempla, nunc exponamus; ex hoc iuregentium (is ait) introducta sunt bella: discretæ gentes: regna condita: ædifitia collocata. Discretas fuisse gentes iam tum Hermogenianus intellexit, cum in multos varios que populos

pulos distractis, ciuium atque peregrinorum externorumque distinctio exorta fuit; ex qua factum, vt omni humano generi natura commu nis hominum sotietatis gradus aliquot essent, Cicero declarat offitiorum in libro primo, ac iterum in tertio, vbi hæc eius verba sunt, sotietas est, latissime quidem quæ pateat, omnium inter omnes: interior eorum, qui eiusdem gentis sunt: proprior eorum, qui eiusdem ciuitatis. idemque rursus in Lelio scriptum reliquit, ita natos esse nos, vt inter omnes esset sotietas quædam, maior autem, vt quisque proxime accederet: itaque ciues potiores sunt, quam peregrini. De Imperio quod omnes habere populi debent: ex natura illud arripi Aristoteles ostendit in primo politic. & M. Tullius in libro tertio de legibus, sine imperio (inquit) nec domus vlla, nec ciuitas, nec gēs, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terreque & hominum vita iussit supremæ legis obtemperat. idem Cicero in primo offitiorum natura vi rationis (ait) hominem conciliat homini & ad orationis, & ad vitæ sotietatem: impellitq. vt hominum cœtus & celebrari inter se, & sibi obedire velit. Ipsum vero, quo cœtus hominum reguntur imperio, cum triplex esse dicatur: eorum trium optimum esse regnum Aristoteles ponit in li-

bro octauo ad Nicomacum, eiusque sententia sicut pater in filios auusque in nepotes: Rex itẽ in eos, quos regit, natura imperium obtinet. atque de Rege quod eum natura ipsa commenta est Seneca dicit in lib. 1. de Clementia c. 19. Apostolus etiam ad Romanos cap. 13. omnis anima, (inquit) potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. & naturam ethnicis appellatam Dei ordinationem esse, iam supra vidimus. iterum ad Titum idem Apostolus admone illos (ait) principibus & potestatibus subditos esse. & Diuus Petrus in epistol. 1. cap. 2. subiecti igitur estote omni humanę creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti. & Pomponius iurisconſ. vt patriæ pareamus naturæ præceptum esse volens, patriæ nomine, per quos illa regitur, intellexit. ciuitatis namque personam (vt supra vidimus) ij gerere dicuntur. & his Imperator consonans est. C. sub tit. de episcop. & cler. cap. 35. in §. omnes præterea &c. Hæc autem cum non ita intelligẽda sint, quod sine populorum constitutione reges naturæ ipso iure prorepserint; quin eo iure illos constituendi ius penes ipsos populos ab initio fuit. ex posteriori iuregentium regna cõdita fuisse rectè Hermogenianus inquit, nam ex constitutione populorum quæ processerunt,

ea huius iurisgentium esse dicuntur. Apostoli vero ad Romanos his, quæ relata sunt, Plutarchus in libello de doctrina Principum similia scribit, Magistratus summos & Principes Dei ministros esse dicens in procuratione hominum & salute. quòd tantorum bonorum, quæ generi humano diuinitus dantur nullus esset hominibus fructus, vsusq; commodus & rectus sine lege, sine iustitia, sine Principe. deinde subdit, Iustitia igitur finis est legis, lex autem offitium est principis. At Princeps ipse imago est Dei, qui omnia rectè ordineq; constituit. his pariter Augustini dicta similia sunt, quæ Gratianus refert in octauæ distin. cap. 2. & Imperat. C. sub tit. de veter. iure enucl. cap. 2. §. sed quia diuinæ quidē res &c. & in authent. collat. 1. sub tit. 6. in princ., & collat. 2. sub tit. 2. §. Itaque Deo, & collat. 5. sub tit. 13. in vers. his non in sola hac &c. & in collat. 6. tit. 3. in §. quia igitur imperium &c. & sub tit. 13. in principio, & in collat. 8. sub tit. 8. in vers. omne autem dispendium, &c. & sub tit. 11. in §. vlt. De pluribus autem rerum publicarum generibus, quia regna solum iurisgentium esse Hermogenianus inquit, eius opinio fuisse videtur, à principijs populorum eos reges administrasse: primosque fuisse reges, quos ipsi populi constituerunt. eiusque Aristoteles in tertio polit. sæpius author esse videtur, nam quodam loco ita scribit, Primi enim voluntate populo-

rum; quos artibus aut bello demeruissent, seu dispersos in vnum congregasſent, vel agros sedesque ad habitandum tribuissent, reges fiebant: eademque regna posteris hæreditario iure tradebantur. & inferius, ob id forsan rex ab initio repertus est; quod difficile tum erat, præsertim cum ciuitates paruæ forent, viros plures præstanti virtute reperire. ad hæc ob accepta beneficia reges creauere; quod opus est bonorum virorum. sed cum postea contingeret, vt complures virtute pares reperirentur, non amplius tolerarunt regem: sed commune quiddam quærentes respublicas constituere. hæc ibi similiaque scribit in lib. 5. cap. 10. M. Cicero in libro 3. de legibus, omnes antiquæ gentes (inquit) regibus quondam paruerunt; quod genus imperij primum ad homines iustissimos, & sapientissimos deferebatur. idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas præfuit: deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet. eiusdem Ciceronis in secūdo officiorum hæc de his verba sunt, quæ supra retulimus, Mihi quidem non apud Medos solum (vt ait Herodotus) sed apud etiam maiores nostros fruēdæ iustitiæ caussa videntur olim bene morati reges constituti. & ex his, quæ ibi subiungit, legibus post conditas vrbes inuentis reges priores fuisse colligimus. quod Iustini in libro primo

mo verbis huiusmodi confirmatur, in principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis; sed spectata inter bonos probitas prouehebat. Arbitria principum pro legibus erant. ac in terris nomen imperij id primum fuisse à Sallustio prætereà dicitur in procemio. De ipsis regibus cœterisq; magistratibus, intelligere eos oportere, ipsos quidem non sua ipsorum sed eis subiectorum caussa tales constitutos esse. atque pastorum appellatione eos pariter apud Ezechielē intelligi in cap. 34. vt ex eius dictis ibi hoc planum fiat: in primis Aristoteles ostendit, qui in libro quinto ad Nicomacum rationem exponens, cur non hominem sed rationem dominari sinant? de Magistratu subiungit, quod cum iuris ipse custos, & ius æquabile quiddam sit, iustus ille dicetur, qui meritò sibi concessa dignitate nihil amplius adsumit. Nam quòd pro alijs laborat, quæ ipsius laboris ei merces tribuatur, honor est & gloria, quibus vero satis ea non sunt, ij tyranni quidem efficiuntur. eaque re alienum bonum dicunt esse iustitiam: & his ea Ciceronis similia sunt, quæ in secundo offitiorum de regum & scriptarum legum origine scribit à nobis relata supra. eodem Aristotele rursus in libro octauo, regis atque tyranni illa differentia est. Nam Rex quia non dicitur, nisi ex se ipse sufficiat, omnibusque bonis

bonis excellat, nulla re is indigens subiectorum caussa exercet imperium ex diuerso tyrannus suam ipsius vtilitatem sequitur & illi seruit: itaque apud Homerum Iouem patrem, & Agamennonem pastorem populorum appellatum ex eo refert, quia Rex illis, quos regit, patris offitium præstare: atque bonus cum sit, de illis vt sanè bene agāt, non secus atque pastori de ouibus suis ei curæ esse debet. Cicero quoque offitiorum in libro primo scribit, omnino qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, vnum vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agunt ad eam referant obliti commodorum suorum. Alterum vt totum corpus reipublicæ curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. vt enim tutela, sic procnratio reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non eorum, quibus commissa est, gerēda est. De Imperatore, q̄ sit communis omnium subiectorum pater, ipse dicit in authent. coll. 8. sub tit. 1. §. vlt. De alijs magistratibus, quod parentibus similes se præstare debeant. in authen. coll. 2. sub tit. 2. §. eos autem & in §. illud videlicet in vers. sciant enim &c. & iterum sub tit. 3. in vers. & primum &c. & rursus in collat. 3. sub tit. 4. §. habebis autem &c. Amplius ad hæc, quæ dicta sunt, idē Imperator accedit, C. sub tit. de nupt. c. 23. de caduc. tollen. c. 1. §. vlt. & in authent. collat. 2. sub tit. 2. in prin-

cipio,& inferius in §.itaque Deo,&c.& in collat.8.sub tit.10.in principio.& collat.9.sub tit. 10.in principio. Dominationem in seruos (vt nunc ad illam transgrediamur)præter naturam vsu introductam esse, quæ fert opinio, ea proposita Aristoteles in primo politic. seruitutem duplicem subiungit esse, vnam naturalem eorũ, quos alijs seruire vtrisque expedit. & alteram iure belli introductam ipsis, qui in eam redigũtur, supra modum grauem atque molestam. Quo vero lucidius ab eo dicta intelligamus, scire debemus à iure naturali ius vbique gentium constitutum in primis hoc differre, quod cum huius iuris bella non ea solum esse dicantur, quæ naturali iure permittuntur: sed generaliter omnia quæ à populis orta sunt: quæuè eius auctoritate, cuius reguntur imperio, populi diuersi inter se gerunt. horum omnium id ius esse, vt in his ex hostibus capti serui fiant, testis est Aristoteles ibi: iurecons. sub tit. de acquir. rer.domin.c.7.de captiu.cap.19.& in c.24.Imper.institut.sub tit.de rer.diuis.§.item ea, quæ ex hostibus &c. & hoc aliqui considerantes eo iure belli institutam seruitutem, quod ius gentium iurĩscõs. vocant, alias iustam, alias iniustã esse dicunt: iustam esse sentientes eorum, qui iusto: iniustam eorum, qui iniusto bello capiuntur. & mihi videntur hi velle, quod Aristoteles, qui eorum hanc refert opinionem,

post

post paulò subiungit, quòd ijs infertur, qui natura parere debent, neque volunt, id natura iustum esse bellum. secundùm quam relata opinio eò redigi videtur, vt qui bello vincuntur ab his, quorum natura serui prius erant, eorum seruitus iusta sit: qui verò eorum, à quibus victi sunt, natura serui antea non erant, sequens eorum seruitus iniusta sit. Augustinus in lib. 19. de ciuitate Dei cap. 15. sic ait, conditio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori: nomen itaque istud culpa meruit non natura. deinde subijcit, nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, seruus est hominis aut peccati: verùm pœnalis seruitus ea lege ordinatur, quæ naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari vetat: quia si contra eam legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coercendum: ideoque Apostolus seruos monet subditos esse dominis suis, & ex animo eis cum bona voluntate seruire. hæc Augustinus ibi, cuius sententia captiuitates atque seruitutes eorum, qui in his bellis capiuntur, quæ gentium non autem naturali iure victoribus permissæ erant, illæ quidem naturali iuri semper contrariæ sunt. illorum autem, qui naturali iure victoribus permisso bello capti sunt, ei quidem, quẽ ab initio natura præscripsit ordinem, contrariæ sunt: quia verò qua præscribitur ordo, eadem lege ij puniuntur, qui illum perturbant, eadem,

cuius bellantes, qui capti sunt, perturbauerint ordinem, eorum seruitutes admittuntur. Atqui Aristotelis ex his, quæ scribit in ethicis in libro ad Nicomacum octauo, ad Eudemium septimo sententiam hanc elicimus, humanitatis quidem ius cum seruis eorum dominis intercedere; instituto vero seruorum vsu inter ipsos eorumq. dominos communitatem haud vllam repræsentari: sed in eo bestiarum vsus instar esse, cum quibus homini iuris nihil esse putatur. his enim domini ad vtilitatem suam ipsorum vtuntur, vt seruus instrumentum animatum, instrumentum vero seruus inanimatus esse videatur: cum quibus vero nulla communitas est; quod cum his intercedit, ius neque dicitur. Ac ex his Aristotelis, quia sentijt humanitatis ius esse, quo serui eorum dominos attingunt, id efficitur, quod Cicero in primo officiorum ait, Meminerimus autem (inquit) & aduersus infimos iustitiam esse seruandam: est autem infima conditio, & fortuna seruorũ, quibus non malè præcipiunt, qui ita iubent vti, vt mercenarijs, ad operam exigendam, iusta præbenda. Porrò vt serui dominis subiecti sint, quod Diuus Paulus admonet ad Thimot. 1. cap. 6. ad Ephesios c. 6. ad Colossenses cap. 3. Diuus Petrus in epistol. 1. cap. 2. ex illo iure gentium esse, quod ex naturæ lege descendit: cum Platone cuius verba suprá relata fuerunt: Theophilus quoq; sentijt institut.

tut.sub tit.de iure nat.gent.& ciuil.§.1. & cum his iurisconf.facit sub tit. de condic.indeb.cap. 26.§.libertus &c. & Imper. C. sub tit.de in ius vocan. cap.2. Aristotelis vero ex his, quæ memorauimus licet facilè intelligere, ꝙ tametsi hoc seruis à natura præceptum esse videatur, vt suorum dominorum iussis haud inhonestis obtemperent, tamen quia instituto seruorum vsu communitas, cui domini cum illis natura iuncti sunt, funditus perturbatur, ea ratione iuri naturali contrarias seruitutes esse, generaliter verum est.& quidem ius, quo totius humani generis communis hominũ societas deuincta est, id naturale ius appellat Vlpianus hic & Triphoninus sub tit.de cōdict.indeb.cap.64. eoque iure non modo incognitam, verum etiam illi contrariam esse iuris gentium seruitutem, ac homines in eam per iniuriam redigi, ex iurecons.probatur sub tit.de captiu. & postlim.reuers.cap.19.in vers.idque naturali æquitate &c. Imperat.C.sub tit.de senatuscons.claud.tollen. cap.1.& Instit.sub tit.de iure natur. gent.& ciuil.§.ius autem gentium &c. & Vlpiani dicta hic Imperator instit. reposuit sub titul.de libert.in principio. Ad hæc seruorum dominium cōtra naturam institutum esse Florentinus expressit in titul.de stat.homin.cap.4.eumque secutus Imper. institut. sub tit.de iure person.in principio. apud hos vero dominium eorum di-

ci,

ci, quæ in bonis computantur, id iuriſconſ. ſignificare voluit, poteſtatis verbo dominium in perſona ſerui ſignificari dicens in tit. de verb. ſignif. cap. 215. id enim tale eſſe iuriſcōſ. declarat ſub tit. ad leg. Falcid. cap. 38. Imper. C. ſub tit. de verbor. ſignif. c. vlt. contra naturam ergo, quia homines aliarum rerū domini ea ſunt, hoc eſſe intelligunt, quod in patrimonio domini ſerui connumerentur. cuius eſt ſimilē dictum ſub tit. de vſur. cap. 28. & inſtit. ſub tit. de rer. diuiſ. §. in pecudum &c. Ac ex his principalis reſcripti ratio colligitur, quo iuregentium domini in eorum ſeruos vitæ neciſq; tributa poteſtas coercita fuit. ea namque iure naturali dominis inhibita prius erat: quia vero quod ex iuregentium introductum eſt, vt in bonis dominorum ſerui ſeu pecudes computentur, iure ciuili receptum eſt: huic conſequens eſſe videbatur, quod ſicut aliarum rerum ita ſeruorum quoque dominis permitteretur abuſus: & huic rationi reſpōdit Imperator, cuius reſcripti verba iuriſconſ. refert in tit. de his qui ſunt ſui vel alien. iur. capit. 2. & Imper. inſtitut. ſub eodem tit. §. vlt. Ad hæc quia libertas vt à Florentino diffinitur, naturalis eſt facultas eius, quod facere libet, niſi ſi quid vi aut iure prohibetur. eam naturali iure contineri, quod inſtituto, ex quo dominatio introducta fuit, immutari non potuit Triphoninus oſtendit, qui ex eo fieri di-
cit,

cit, vt domini seruis suis naturaliter obligētur sub tit. de condict. indeb. cap. 64. eius vero sententiam perperam aliqui sic intelligunt, quod ius naturale vocat iuregentium postea commutatum aliter se habere cœpisse, quam se prius haberet: nam ex eo, qnod fuit, sed non est, quia pro nihilo habetur, male Triphoninus id etiam num fieri diceret, vt domini seruis naturaliter obligentur, ex hoc autem, quod iure naturali seruos libertatem retinere dicimus, non illud intelligēdum est, eo iure dominis suis ipsos seruire non oportere, non enim in hoc libertas cōsistit, de qua loquimur, vt sui iuris homo sit, nā & filijfamilias alieni iuris sunt, & quæ potestas iuregentium dominis tribuitur vitæ necisque seruorum; eadem in filios parentibus quōdam erat, illos tamen etiam in liberorum numero habitos fuisse aliter atq; Cicero sentijt in oratione pro domo sua, iurisconf. indicat sub tit. de rei vindicat. cap. 1. §. 1. & Imperat. constitutio exprimit vlt. sub tit. C. de patria potest. in ea igitur facultate libertas, de qua Florentinus loquitur, posita est, quę per mortem in hominibus finitur, cumque in seruis illa re vera maneat, quo quidem iure libertas illis adimitur, illud in eis naturalem illam, quam habent facultatē, non agnoscit: quare eo pro mortuis haberi iurisconf. dicit sub tit. de donat. inter vir. & vxor. cap. 33. §. si donator. de regul. iur. cap. 209. hoc

igitur

igitur iure seruis licet ea facultas verè non adimatur, quam naturali iure in ipsis agnoscimus: ius tamen adimitur, quod alijs personis ciuile ius tribuit: eoque illorum caput carere iurisconf. dicit sub tit. de capit. diminut. c. 3. Vlpiani porrò hæc sub tit. de regul. iur. reposita, quod attinet ad ius ciuile serui pro nullis habentur: non tamen de iure naturali, nam quod attinet ad ius naturale omnes homines æquales sunt. Ciceronis verbis nos declarare possumus, is enim in primo officiorum scribit, intelligendum est, duabus quasi nos à natura indutos esse personis, quarum vna communis est ex eo, quod omnes participes sumus rationis præstantiæq; eius, qua antecellimus bestijs, à qua omne honestum decorumq; trahitur, & ex qua ratio inueniendi offitij exquiritur. Altera autem quæ propriè singulis est attributa: vt enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, ita & in animis existũt etiã maiores varietates. hæc ille, cuius ex verbis his intelligimus, quod ad eam personam attinet, omnes homines æquales esse, quam eorum cõmunem esse Cicero scribit. eamq; eo iure præditam esse, quod naturale Vlpianus appellat. quod autem attinet ad ius ciuile serui haudquaquam ea communi hominum persona censentur: eaq; exuti quidem existimantur esse. quod item ex his colligi potest, quæ iurisconf.

scribit sub tit.de iure deliber,cap.1,sub tit.de accusat.c.22.§ omnibus &c.ad leg.Cornel.de fals.c.7.Theophilus institut, sub tit.de hæred. instituen.§.seruus autem alienus &c.de stipul. seruor.in princip.Quo sanè modo Triphonin° eodem Isido.libertatem accepit, qui naturali iure omnium libertatem esse scribit. eiusque verba Gratianus refert in prim.a distinct. c.ius naturale est &c. ad hæc præterea Imperator accedit in authen.collat.6.sub tit. 1. §. si quis sanè &c.& in collat.7.sub tit.j.§.natura siquidem & in §. si quis ergo filios &c. Demum à iure naturali iusgentium in ancillarum filijs maximè discrepat, nam iuregentium seruos eos nasci iureconf.testis est sub tit.de stat.homin.c.5.§.1.de natal. restituen. c.2.Imperat. C.sub titul.de fideicom.libert.c.3. institut. de iure person.§.serui autem &c.ac huius est illa ratio,quod cum pecudibus similes fecerit ancillas,ad earum partus illam regulam trahit, quam in his, quæ ex alijs nostris animalibus nascuntur,ex iure naturali iureconf. expressit in tit.de acquir.rer.dom.c.6.& Imperat.institut.de rer.diuis.§.item ea,quæ ex animalibus &c.ius autem naturale,quoniam ab eo, quod diximus ancillarum dominium abhorret, quã regulam obseruari poscit in his, quæ ex alijs nostris animalibus nascuntur:eam ad illarum transferre filios non patitur. nec illud pati vi-


detur,

detur, iustæ parẽtum seruitutis pœnas ad hos filios peruenire. His cognitis, quia iurisgentium ea seruitus apparet esse, quam consecuta manumissio fuit, eiusdem iurisgentium originis respectu manumissio quoq; dicetur esse. quod verò per eam confertur beneficium, illud naturæ consentaneum est, cui etiam conuenit, ratã cuiusq; voluntatem esse proprium seruum sua de manu mittentis. ex quo verò seruitus, eò quod iure ciuili confirmatur, legitima cœpit esse; non aliter libertatem ciuili iure ademptam manumissio confert, quam si ea quoque legitima sit, cum omnia, quæ iure confirmantur, eiusdem generis contrario iure distrahi necesse sit, vt iureconsf. inquit sub tit. de reg. iur. c. 101. Imperat. instituç. sub tit. quibus mod. testa. infirm. §. ex eo autem solo &c. De iuregentium quæ bella introducta Hermogenianus intelligat, quia supra iam declarauimus: hic Sallustij verba addenda sunt, apud quem Iugurta legatis P. R. de bello respondit, Adherbalem vitæ suæ insidiatum, quod vbi comperisset, eius sceleri obuiam isse. P. R. neq; rectè neq; pro bono facturum si ab iuregentium se prohibuerit. iusta vero bella quæ sint, ex naturali iure percipimus. de his Cicero disserit officiorum in lib. 1. aliorum dicta Gratianus refert 23. q. 2. Huius iurisgentium pariter esse, quod inter nos ac liberos omnes

populos, regesq; moribus ac legibus constitutum esse, iurisconſ. inquit sub tit. de captiu. & postlim. reuerſ. cap. 19. & item illud, quod iuriſcõſ. asserit sub tit. de legation. cap. vlt. Isidorus commemorat, cuius vt diximus Gratianus verba refert in prima distinct. cap. ius gentium est, &c.

v. Hermogenianus lib. 1. iuris epitomorum.

Ex hoc iuregentium introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædifitia collocata. Commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ, exceptis quibusdam, quæ à iure ciuili introductæ sunt.



X quo iuregentium rerum dominia distincta sunt, id eo posterius esse, quod simul cum ipso humano genere natum est, M. Tullij verbis nos demonstrare possumus, is enim in primo officiorum ita scribit, sunt autem natura priuata nulla, sed

aut

aut veteri occupatione, vt qui quondam in vacua venerunt: aut victoria, vt qui bello potiti sunt: aut lege, pactione, consuetudine, conditione, sorte. ex quo fit, vt ager Arpinas Arpinatum dicatur. Thusculanus Thusculanorũ; similisq. est priuatarum possessionum descriptio. CLEMENS Quartò Pontifex Maximus in eius quadam epistola, quæ apud Gratianum extat 12.q.1.cap.2. Communis (inquit) vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatẽ alius dixit hoc esse suum, alius istud; & sic inter mortales facta est diuisio. Naturalis iuris exẽplis communem omnium possessionem Isidorus annumerat, ab eoque ius gentium distinguit, de quo Hermogenianus hic loquitur. eius verba Gratianus refert in prima distinct. & iuris naturalis nomine illud eum intelligere, quod cum ipso humano genere partum fuit: eoque omnia communia, instituto vero iure hoc meum, & illud tuum esse, idem Gratianus octauæ distinctionis in principio declarat. Ac ex his verum apparet quod Cicero aliò versum offitiorum in libro tertio scribit, sed nos veri iuris, germanæq; iustitiæ solidam, & expressam effigiem nullam tenemus: vmbra & imaginibus vtimur: eas ipsas vtinam sequeremur: feruntur enim ex optimis naturæ, & veritatis exemplis. Meminisse verò debemus,

quod ius naturale dicitur, id vt supra diximus, ab ea repeti viuendi norma, quam humano generi ab initio natura præscripsit: non autem ab ea, quam primi sibi proposuerunt homines: quibus priuata quædam fuisse in sacra geneseos historia legimus: nec vllum postea fuisse tempus, quo nihil priuati fuerit, Lactantius declarat Diuinarum Institutionum in libro quinto, capite quinto. Deinde Clementis memoratam ac illorum contrariam opinionem, qui dicunt, naturali ratione rerum esse dominia distincta, hoc pacto nos exponimus, quòd nisi ius illud natura cum ipso humano genere comparatum, eoque ordinata hominum inuicem charitas violari cœpisset, pristina illa rerum omnium communio neque dissoluta fuisset vnquam: post homines verò corruptos ex illis orta communium rerum diuisio his caret difficultatibus, & incommodis, quæ haberet communio. ex hominibus enim à charitate ipsorum inuicem desistentibus plura existunt, ex quibus fit, vt inter eos rerum illa pristina communio commodè retineri non possit. Ita, quam rationem ius gentium habet, ex quo rerum initio natura communium diuisio mox profecta fuit, ea naturalis vtique non est: Naturalis enim illius charitatis ratio dicitur, qua homines à principio natura deuinxit. huius autem de quo loqui-
mur,

mur, iurisgentium ratio ex necessitatibus orta est, quarum humanę charitatis perturbatio caussa fuit. eoque non opus fuisset, naturali iure si vixissent homines. Deinde quia naturali iuri contrarium hoc ius non esse, ex quo rerum pristina communio dirempta fuit: Cicero docet in libro tertio de finibus ita scribens, sed quemadmodum theatrum cum commune sit, rectè tamē dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit; sic in vrbe mundoue non aduersatur ius, quominus suum cuiusque sit. Isidori & Gratiani relatam sententiam sic intelligere nos oportet, non vt existimemus omnia etiam num inter eos quoq; naturali iure communia esse, quorum rerum dominia distincta sunt: hoc enim si admittatur, eo omnibus cuiusque rebus omnes pro communibus vti sine peccato possent, quod falsum est, nam quia rerum initio cōmunium ipsis hominibus naturali iure diuisio prohita non fuit; ab his ea facta rata manet. Sed nobis dictum illud accipere debemus, naturę veri iuris germanam formam eos quidem obseruare, inter quos eorum communi, & vnanimi consensu rerum omnium communio conseruatur. eius vmbra, & imaginibus eos vti, qui communibus pro communibus vtentes, priuatis vt suis: alienis abstinent. Cæterum Augustinum sine eo iure, quod in legibus Impe-

ratorum positum est, priuata nulla esse dicentem Gratianus refert in octaua distinctione. & cum eo Cicero facere videtur in oratione pro Cecinna dicens, nihil est enim in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile retinendum; etenim hoc sublato, nihil est, quare exploratũ cuiquam possit esse, quid suum, quid alienum sit: nihil est, quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse possit. huius verò sententiam sic nos intelligimus, ex iure ciuili eò quod illud iudices conseruare tenentur; id vnicuique certum esse, quid suum, quid alienum sit. Ex quo verò iuregentium rerum dominia distincta fuisse Hermogenianus, & Isidorus volunt, id non ex legibus principum, sed ex ipsis gentibus ortum est. eorumq; sententia ex Ciceronis, & Clementis supra iam prolatis verbis confirmatur, cum quibus iurisconsf. facit, ex veteri occupatione vacuorum dominium cœpisse volens sub tit. de acquir. vel omitten. poss. cap. 1. Ex quo inquam eodem ipso naturali iure, quo primò omnes res omnium hominum communes fuerunt, earum ab hominibus postea facta diuisio rata manet: ex quibus caussis earum dominia singulis acquiri debeant, eiusdem iuris naturalis ratio demonstrat. eoque rerum illa diuisio processit, quam tradit Martianus sub tit. de rer. diuis. cap. 2. & Imperat. institution. sub eod. tit.

in principio. itaque iusgentium illud, de quo iurisconſ.loquitur ſub tit. de acquir.rer.dom. cap. 1. naturale ius eſſe Imperator apertè dicit inſtitut. ſub eo titul. in §. ſingulorum &c. idque ipſum naturale vocat etiam Florentinus ſub illo tit.de rer.diuiſ. c.3. Vlpianus ad leg. Aquil. c.51. Caius ſub tit.de ſuperficieb. cap.2. Imperat.C.ſub tit.de iure dot.capit.30. Iſidorus, cuius (vt diximus) Gratianus verba refert in prima diſtin.cap.ius naturale eſt &c. idem ex iureconſ.verbis percipitur ſub eo de acq.rer.dom.c.9.§.hæ quoque res, &c. Imperat. inſtitut.de rer.diuiſ. in §.per traditionem &c. Natura pariter quod ſuum cuiuſque ſit, illud ei auferri prohibitum intelligi M.Cicero hisq́, quæ ex eius libro primo de offitijs excepimus in principio in hæc verba ſubiungit, quia ſuum cuiuſq; ſit eorum, quæ natura fuerunt communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat: eo ſi quis plus appetet violabit ius humanæ ſotietatis. hoc quia naturæ lege ſancitum eſt, ea furtum prohibitum eſſe iuriſconſ.dicit ſub titul.de furt.cap.1. ſub tit. ſi is, qui teſtam.lib.eſſe iuſs.erit, &c. cap. 1.§.1.de verbor.ſignificat.cap.42.& Imperat. inſtitut. ſub tit.de oblig.quæ ex delict.naſcun. in principio. Alibi idem Cicero in libro tertio officiorum ita ait, Nam vt ſibi quiſq; malit, quod ad vſum vitæ pertineat, quam alteri acquire-

re,

re, concessum est non repugnante natura. illud natura non patitur, vt aliorum spolijs nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque verò hoc solum natura idest iuregentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis ciuitatibus respublicæ continentur, eodem modo constitutum est, vt non liceat sui commodi caussa nocere alteri: hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse ciuium coniunctionem, quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multò magis efficit naturæ ratio, quæ est lex diuina & humana, cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam viuere volunt) numquam commictet, vt alienũ appetat, & id, quod alteri detraxerit, sibi assumat. hæc ibi Cicero, ex quibus quod percipitur, quæ cuique obtingerunt, his vt proprijs vti, ei naturæ iure permicti iurisconf. indicat etiam sub tit. de noui oper. nunt. cap. 5. in §. & bellè sextus Pedius, &c. de precar. in c. 2. §. 1. ex his deinde id etiam planum fit, à natura quod ius haurimus, tum naturæ, tum iurisgentium nomine designari: in eoque illud esse, quod naturæ dicitur sub tit. de condiction. indeb. cap. 14. & iuris naturæ sub tit. de reg. iur. cap. 207. idemque ius gentium esse dictum sub titul. de action. rer. amot. cap. 25. quod per naturam iurisconf. intelligit sub tit. de verbor.

signif.cap.42. Natura contrahi, quæ naturalia debita, vel naturales obligationes appellantur iurisconf. ostendit sub tit. de negot. gest. c. 20. de petit. hæred. cap. 34. §. sed si ipsi prædoni &c. de condict. indeb. cap. 26. §. libertus, & cap. 41. & cap. 60 de pecul. cap. 12. §. 1. de con stit. pecun. c. 1. §. debitum autem. de compensation. cap. 7. ad leg. Falcid. cap. 1. §. id, quod natura, &c. de fideiuss. c. 61. de verbor. signif. cap. 10. & alibi sæpissimè. Atque per naturam quod ius intelligit, id etiam iusgentium dictū esse, cum Ciceronis ex illis verbis (natura id est iuregẽtium) notauerimus, de eo ipso iure gẽtium, quod per naturam intelligimus, Paul. iurisconf. loquitur sub tit. de reg. iur. cap. 85. cuius sic verba legimus, is natura debet, cuius fidem secuti sumus, quem iuregentium dare oportet. atque de eo Martianus loquitur etiā sub tit. de præscrip. verb. cap. 27. vt depositum & commodatum, omneque pro quo aliud est acceptum, reddere debeamus; & generaliter vt debitor memorem se ostendat benefitij, & gratum aduersus eum, qui in rebus angustis necessitati ipsius succurrit, ius efficere pariter atque naturale atque gentium nominatum Triphoninus indicat sub titul. depos. cap. 31. Theophil. instit. sub tit. de iure nat. gent. & ciuil. §. 1. idq; ipsum, quo sic obligamur ius naturale vocat idem Triphoninus sub tit. de con

dict.

dict. indeb. cap. 64. Licinius Ruffinus sub tit. de obligat. & action. cap. 59. Isidorus cuius Gratianus dicta refert in prima distinct. cap. ius naturale est &c. Natura verò hæc omnia, quæ in his locis dicta sunt, iure sotietatis efficit, quam inter homines ab initio constituit. in eodemq; illud est, quo nihil naturalis æquitatis magis proprium esse iurisconsf. ait sub tit. de pact. in principio de constit. pecun. c. j. & Imper. institut. de rer. diuis. §. per traditionem &c. & huic æquitati conuenienter quæ seruitutes acquiruntur, eas iuregentium acquiri Imperator intellexit institut. sub tit. de vsu & habit. §. vlt. idem sotietatis humanæ ius naturę lege sancitum fons eius æquitatis est, quam naturalem iurisconsf. nominat sub titul. de condict. caus. dat. cap. 3. §. sed si seruus &c. eiusque boni & æqui, de quo iurisconsf. loquitur, qui ius naturale illud etiam voeat in huius titul. cap. 11. de capit. diminut. cap. 8. sub tit. si cert. petat. cap. 32. de condict. indeb. cap. 65. §. quod ob rem, & in cap. seq. His visis, quia Theophilus institution. sub tit. de iure natur. gent. & ciuil. §. j. ad illius iurisgentium exempla, quod plerunq; per naturam intelligimus, hæc etiam adscribit, vt contractus celebrentur, venditiones, emptiones; locationes, conductiones; deposita; societates; mutui dationes; vt donationes fiant; vt testamēta conscribantur.

bantur. Hermogenianum verò hic & Vlpianum sub titul. de pact. cap. 7. iurisgentium hæc esse dicentes de alio iuregentium loqui Imperator intelligit institution. sub illo tit. de iure nat. gent. & ciuil. §. ius autem gẽtium &c. hæc ita intelligere debemus, ea quia vitæ societatem continent, natura ipsa recipi: cum verò non ipsius naturæ iure, sed vsu & humanis necessitatibus comperta fuerint, ex instituto iuregentium originem sumpsisse dicuntur, quod ab eo distinguitur, de quo Theophilus ibi loquitur, & iureconsſ. sub tit. de precar. c. 1. Huius autem iurisgentium, de quo iurisconsſ. hic loquitur, contractus esse dicuntur generaliter omnes, quibus omnes ferè gentes vtuntur. neque adsentimur ijs, qui emptionis, & venditionis nomine apud iurisconsſ. hic permutationem intelligi volunt: nam etsi absq; nummis emptio fieri non posſit, quorum vsus cuiusque ciuitatis propria lege subnixus est: tamen quia id genus contractus vbiq; ferè gentium venit in vsum, ob id rectè iurisgentium esse dicitur hic & sub illo tit. de pact., cap. 7. Post hæc admonendi sumus multum eos errare, qui in hoc iuregentium de quo Hermogenianus hic loquitur, ius illud etiam ponunt, quod Reges quondam ante leges inuentas gẽtibus exercuerunt. Reges quidem in illo tempore iudices fuisse Aristoteles affirmat in ter-

tio politicorum, & in historia de Ioue scriptũ ita, eadem tẽpestate Iuppiter in monte Olimpico maximam partem vitæ colebat, & eò ad eum in ius veniebant, si quæ res in controuersia erant. Lactantius refert Diuin. instit. lib. 1. cap. 11. An autem ex quo iuregentium obligationes institutas fuisse Hermogenianus hic ait, actiones quoque proditæ fuerint, quæstio difficilis visa fuit, in qua de hoc iuregentium loqui Martianum aiunt sub tit. de pœn. c. 17. sanè cum actiones auctore Theophilo ab eo dicantur, quod improbos & perfidos ad iudices agamus; eorum quæ quondam apud Reges conuentio fiebat, eam pariter actionem vocare possumus. Atque hoc iuregentium, vt apud Reges aduersus eos, qui conuenirentur, naturales valerent obligationes; constitutum fuisse: veteres aiunt. Alij quidam ex hoc iuregentium illud totum descendere, contendunt, quod iuris in omnibus iurisgentium conuentionibus Vlpianus tradidit sub tit. de pact. c. 7. ac ita existimantium aliqui apud Hermogenianũ hic per obligationes contractus malè Tribonianum intellexisse dicunt instit. sub titu. de iure nat. gent. & ciuil. §. ius autem gentium, &c. Alij testem huius opinionis Paulum iurisconf. citant, apud quem in illo de regul. iur. cap. 85. iusgentium hoc nominatum intelligentes, de quo Hermogenianus hic loquitur,

quitur, eo dare oportere eum, cuius fidem secuti sumus, sic intelligãt, hoc iure cogi eum potuisse fidem præstare. Atqui Imperator instit. sub tit. de rer. diuis. §. singulorum &c. ciuile ius tum esse cœpisse dicens, cum ciuitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt. quia magistratuum nomine similiter atque Pomponius iuriscons. sub tit. de origin. iur. cap. 2. §. post originem iuris, &c. reges intellexit etiam, quorum ante leges inuentas arbitraria pro legibus fuisse: supra visum fuit: ex his primum, dein ex legibus ciuile ius in lucem prodijsse, mihi sentijsse videtur. Quippè quòd ex iure gentium regum constitutio descendat, idcircò dicitur, quoniam reges ab initio omnes populi ipsi sibi constituerunt. quia vero non vnus omnium rex vnquam fuit (id quod hi sentiunt, qui regiones primum ab eo dictas esse putant, quod singulæ singulis parerent regibus) neque primis illis regibus, quod ius in controuersijs priuatorum obseruarent, à gentibus præscriptum, sed in eorum arbitrijs relictum fuisse traditur: quod ex his ante leges inuentas receptum fuit, id cuiusq; ciuitatis proprium esse cœpit, quod ius ciuile dicitur. Iam vero frustra de eo quæritur, quod ius reges quondam exercuerint: nam illud nobis neque certum esse potest: nec scire vsus est. non enim etiam num illud firmum, &

immutabile permanet, huiusmodi namque ius naturæ solum esse dicitur, cui cũ sic eius Deus solus autor, omnes populi eorumque principes subiecti pariter sunt. Primis autem regibus cum posteriores, qui nobis iura cõstituerunt principes haud inferiores sint, eos à iure, quod illis placuit, abscedere potuisse, cui dubium videbitur? Ex quo verò gentium iure cõuentiones introductas esse dicimus, id quod naturæ aut iuris naturalis nomine haudquaquam intelligere possumus, in eo de naturalibus obligationibus nihil quicquam esse, affirmare non dubito: easq. naturali iure nos metiri, non autem hoc iuregentium, quod ab illo distinguimus, quod à principio humani generis proditum fuit: Triphoninus ostendit in illo de condict. indeb. c. 64. & Papinianus quod in his inest, naturale vinculum appellat sub eo tit. de condict. indeb. cap. 59. easque rursus æquitatis naturalis solo vinculo substineri dicit sub tit. de solution. cap. 95. §. naturalis &c. atque tandem Isidorus, qui his congruenter, quæ Triphoninus differit sub titul. depos. cap. 31. iuris naturalis sugerit exemplis, vt depositæ rei vel commendatæ pecuniæ restitutio fiat; ab eo protinus hoc iusgẽtium distinguit, ex quo initium conuentionibus factum est: eoque de his, quas mẽmorauerat, naturalibus obligationibus quid noui constitutum fuisse

neque

neq; dicit. Ac ex his cum appareat, Hermogenianum hic neq; de his naturalibus obligationibus, neq; de eo iure loqui, quod regum ex arbitrijs quondam receptum fuit: apud eum per obligationes, necessariò, quæ ad obligandum interponuntur, conuentiones intelligere nos oportet, quas vt diximus huius, de quo Hermogenianus loquitur, iurisgentium esse Vlpianus etiam ponit sub titul. de pact. cap. 7. ac obligationis appellatione pro his etiam pactionibus, quibus nullum fauet ius, vtitur Papinianus sub titul. de obligat. & actionib. cap. 26. Pōpon. de verbor. obligation. cap. 27. Hermogenianus ipse ad leg. Cornel. de fals. cap. 10. Porrò huius iurisgētium conuentiones esse idcirco dicimus, quoniam gentes humanæ ex se se in vsum illas introduxerunt, & his vtuntur, quicquid autem iuris ex his primi reges exercuerint, quoniam ciuile ius cæpit esse: actiones ex iure ciuili proditas esse dicimus. Naturales autem, vel iurisgentium actiones, quæ esse dicuntur, non quòd illæ ab hoc iure gentium institutæ fuerint, de quo Hermogenianus hic loquitur; sed quod eas ad illud æquum, & bonum, quod natura fundatur, scripta lex aliqua vel ciuilis vsus redegit, intelligere debemus, atq; de his iurisconsl. loquitur sub tit. de capit. deminut. cap. 8. de cōdict. indeb. cap. 15. de rer. amot. actio.

cap. 25. & à Paulo iurisconsul. sub tit. locat. & conduct. cap. 1. naturalem locationem eò dictam accipimus, quoniam is bonefidei contractus est, quam vero illa requirit summam æquitatem ad ius naturale; quod ius gentium quoq; vocatur, propè modū æstimari Triphon. testis est sub tit. depos. c. 31. eademq; ratione iurisgentiū pariter emptionē esse dicit sub tit. de contrah. empt. c. 1. §. vlt. earūq; Pauli sententiarū hæc interpretatio ex eius verbis cōfirmatur in citato de condiction. indeb. c. 15. Ac ex illis colligimus, quæ actiones eius iurisgentium sint, de quo Martianus loquitur in illo de pœnis cap. 17. nam de eo, quod ius naturale quoque vocatur ibi loqui; eiusque esse eum intelligere, quæ in iure nostro ad æquitatem naturalem æstimantur, quod genus non omnes actiones sunt, quarum nonnulle stricti iuris sunt: ex his percipitur, quæ in ipso deportato, in quo Martianus loquitur, Trihponinus tractat sub titul. depos. cap. 31. Nec eorum placet opinio, qui dicunt in conuentionibus iurisgentium non aliam quam naturalem obligationem inesse, eique ciuile ius seruire. in primis enim, quas illarum aliquæ pariunt, bonefidei actiones non sunt; nam ex iuregentium introductum esse mutuum Imperator affirmat institut. in illo de iure natur. gent. & ciuil. §. ius autem gentium &c. quam

vero mutui datio parit, in actionibus bonæ-fidei non deputatur. eas deinde ad merum naturale ius, neque per omnia redigi, nos infra dicemus, & quæ in his iurisgentium conuentionibus inest, quæ actiones pariunt, eam ciuilem obligationem Vlpianus vocat in illo de pact. cap. 7 easdemque ciuiles actiones Paulus nominat sub titul. commod. cap. 17. in §. sicut aliorum fuit opinio naturalem obligationem in his haudquaquam inesse, quas à iure ciuili institutas esse Hermogenianus hic ait, eaque vera nec est, nam obligationum naturaliũ effectrix naturalis æquitas eo quoque antiquior est, cuius quas memorat conuentiones hic esse iurisconf. inquit, ex his tamẽ huiusmodi nascuntur obligationes. pariter ergo in quibus casibus stipulationem, quæ à iure ciuili est inuenta, ratam esse naturalis postulat æquitas, in his ea naturalem quoque parit obligationem, quod sentijt iurisconf. sub titul. de condiction. indeb. cap. 41. de authorit. tutor. cap. 15. in vers. sed si cum solus &c. de verbor. obligatation. cap. 1. §. si quis ita interroget &c. de nouation. cap. 1. eademque opinio argumento eius confirmatur, quod in acceptilatione, quæ seruo fit, iurisconf. inquit, eam iurisgentium esse sub titul. de acceptilation. c. 8. §. vlt. quod nos infra declarabimus.

VI. Vlpianus libro primo institutionum.

Ius ciuile est, quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit; neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium idest ciuile efficimus.



E iure ciuili, quod Vlpianus sentijt hic, planum ex eo fit quod supra dixit, priuatum ius collectum esse partim ex naturalibus præceptis, per quę ibi intelligit ea, quibus cætera quoque animalia parent: partim ex præceptis iurisgentiũ ꝙ supra duplex esse vidimus: partim ex ciuilib. per quæ intelligit, quæ in iure naturali, vel gẽtium non sunt. A natura, quæ profecta sunt: & in consuetudinem, quæ postea venerunt, metu legum sancita fuisse M. Cicero in secundo rhetoricorum libro confirmat. A iure naturali nõ ergo in totum ius ciuile recedit, quoniam ex illius præceptis huius collecta pars est. Hæc autem non sic intelligi, vt in iure naturali, quæ sunt, eadem omnia in iure ciuili pariter esse putentur: idem Cicero in tertio officio-

officiorum libro demonstrat ita scribens, Hoc quamquam video propter deprauationem consuetudinis neque more turpe haberi, neq; aut lege sanciri, aut iure ciuili: tamen naturæ lege sancitum est, societas enim est (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissimè quidem quæ pateat, omnium inter omnes, interior eorum, qui eiusdem gentis sunt: proprior eorum, qui eiusdem ciuitatis. Itaque maiores aliud ius gentium: aliud ius ciuile esse voluerunt: quod enim ciuile non idem continuò gentium: quod autem gẽtium idem ciuile esse debet. Hæc autem Ciceronis malè quidam sic intelligunt, quoddam ciuile ius esse, quod tamen ius gentium non est, quod autem ius gentium est, id omne ciuile ius deputandum esse, quin ipse Cicero quod dixerat neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut iure ciuili, quod naturæ lege sãcitum esset. id frequentius esse, demonstrare volens, maiores idcirco aliud ius gentium aliud ius ciuile esse voluisse dicit, nam quod ciuile ius, non idem continuò gentium ius est, neque id, quod ius gentium est, continuò ciuile ius esse debet. Idem Cicero in in illo secundo rhetoricorum libro sic alibi dicit, quædam ex vtilitatis ratione, aut perspicua nobis, aut obschura in consuetudinem venisse: post autem approbata quædam aut à consuetudine, aut

vero vtilia visa, legibus esse firmata. Naturæ deinde iuribus expositis hæc subdit, Ac naturæ quidem iura minus ipsa quæruntur ad hãc controuersiam: quod neque in hoc ciuili iure versantur, & à vulgari intelligentia remotiora sunt: ad similitudinem vero aliquam, aut ad rem amplificandam sæpe sunt inferenda. Porrò ad eam, quam Ciceronis sententiam esse diximus, Vlpianus hic accedit, iuri naturali, vel gentium ciuile ius haudquaquam per omnia seruire dicens, & ita cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium idest ciuile nos efficere quod sic intelligimus, communi iuri detrahi, cùm aliquid contra quam in illo sit, constituitur. additum vero quamuis intelligatur, quod in eo non erat: verè tamen, quæ illi conuenienter fit ciuilis institutio, ea quoque illi addere dicitur, ius enim addit, quod ipsa facit: cuius vis atq; potestas cum extra eos, qui eiusdem sunt ciuitatis non ad alios extendatur populos, qui non eodem tenentur Imperio, quo illa subnixa est: quod ius illa facit, id eorum proprium est, qui eo tenentur. idque ius ciuile dicitur, quod non omnium populorum, sed eorum tantum commune est, qui eiusdem sunt ciuitatis. Iuris ciuilis ergo nomine nõ omne quidem naturale, vel gentium ius, sed eius sola pars comprehenditur, quæ in aliqua ciuitate

legibus, vel moribus recepta est. Alij multum interesse non perceperunt, vtrum quæratur an à iure naturali, vel gentium in aliqua parte discrepare, & illi cõtrarium esse: an vero num illud in qua parte ab eo discedit, mutare, in eaque, vt ne locum habeat efficere ius ciuile queat. Horum autem, quæ ipsi non discernunt, nisi esset distinctio facienda: ea iura, quæ inter se esse diuersa vulgò dicuntur, quominus in aliqua parte inter se essẽt cõtraria, Aut ex eo fieret, quoniam in qua parte à iure ciuili, ius ciuile recedit, illud hoc immutaretur, & in ea locum habere desineret. Aut ex eo, quod illud huic impedimentum afferret, quo secius ratum in ea parte sit, in qua hoc ab illo discrepat. Illud autem si admittatur, quod ad eos pertinet, quibus ciuile ius aliquod commune est: eo quod iuri naturali additum fuerit, id ipsũ naturale ius deputari, ex illo vero, ꝙ detrahit ciuile ius, diffui dissoluique: certè sicut ipsum ciuile ius non sẽper, nec apud omnes populos idem est: similiter nec ipsum naturale ius idẽ semper, & vbiq; gentium esset. quod falsum est. Quòd si illud alterum admittatur, naturale ius in qua parte legibus, & moribus immutari non potest, illud eis impedimento esse, quo minus ius aliquod faciant: nec Ciceronis, quæ vidimus dicta vera essent: nec Vlpiani quidem. ad ea vero, & Pau-

Ius accedit, qui vt infra videbimus, ius (inquit) pluribus modis dicitur, vno modo cum id quod ſemper bonum,ac æquum eſt, ius dicitur, vt eſt ius naturale, altero modo quod omnibus aut pluribus in quaque ciuitate vtile eſt, vt eſt ius ciuile.ius gentium Cicero ſocietatis humanæ ius appellatum intelligit idemque Paulus ius naturale vocat, & illud vnum vtroque modo ab Vlpiano hic eſſe nominatum eius illa verba demonſtrant(neque per omnia ei ſeruit) eodem modo Triphoninus quod prius merum ius gentium, mox naturale,& gentium ius vocat ſub titul..depoſ. cap.31. eius autem, atque ciuilis iuris ab his tradita differentia ex his dulucidior fit, quæ Lactantius diuinarum inſtitutionum in libro ſexto capite nono ſcribit. Ad hæc cum nihil tam naturale ſit,quàm eodem genere quodq; diſſolui,quo colligatum eſt, quod ſub titul.de regul.iur.dicitur in cap. 36.ius inſtituto ſubnixum alio inſtituto contrario tolli poteſt: nec ius illud amplius dicetur, cui ſemel derogatum fuerit, non ita porrò contrario inſtituto in aliqua parte id immutari poteſt,quod ſine vllo inſtituto natura ius eſt: ex eo tamen inſtituto,quod ab illo recedit,ius fieri, & hoc illi contrarium ex eo dicetur, quod eo illud immutari non potuit. Huiuſmodi in primis de ſeruis conſtitutum ius eſſe, ſupra iam di-
ctum

ctum vidimus à Florentino sub titul. de stat. homin. cap. 4. à Paulo sub tit. de capti. & post lim. reuer. cap. 19, C. sub tit. de Senatusconf. Claud. tollen. cap. 1. instit. sub tit. de iure natur. gent. & ciuil. §. ius autem gentium gentium, &c. de iure person. in §. seruitus, &c. eo vero, licet ipsum ratũ sit, iuris naturalis eam partem non immutari, cui aduersatur, significanter Trihoninus expressit sub tit. de condict. indeb. cap. 64. Vlpianus sub tit. de acceptilat. cap. 8. §. idem erit & in seruo dicendum &c, de regul. iur. in cap. 33. Atq; iuxta Euripidis hæc, quæ Stobeus refert in serm. 75.

Nothum genus nomen habet culpabile:
natura vero æqualis est. & alibi.
Ego mihi filios adiscere nothos non dubito.
Cum enim legitimis nulla in re sint inferiores;
Propter leges malè audiũt, quas tu cauere debes

Quod ius de naturalibus filijs antiquioribus legibus receptum fuerat, similiter atque de seruis constitutum à natura alienum esse Iustinianus Imper. sæpius declarat hosque filios charos, filiorumque loco non habere, ipsorum parentibus nefas esse, ex quo intelligimus, id natura sancitum is intelligit in auth. collat. 6, sub. tit. 1. §. siquis sanè, &c. & rursus in collat. 7. sub titul. 1. §. natura si quidem, &c. deinde quo iure exclusis emancipatis liberis ad agnatos olim intestatorum hæreditas

ditas deferebatur, ei naturæ parti contrarium fuisse, cuius iurisconf. meminit sub tit. vnde liber. cap. 7. §. vltim. de bonis dannat. cap. 7. Imperat. C. in lib. 10. de imponen. lucr. descripti. cap. 1. & in authent. collat. 1. sub titul. 1. §. primum itaque. eaque ratione correctum à Prætore fuisse Imperator testis est institut. de hæreditat. quæ ab intesta deferunt. in §. emancipati autem liberi, & in §. minus ergo &c. Illud item quo à successione cognati quondam excludebantur eius naturæ legi contrarium fuisse, cuius Imperator meminit C. sub titul. quor. bonor. in cap. vlt. iurisconf. testis est sub tit. vnde cognat. in cap. 2. de gradib. & affinib. in cap. 4. §. cognationis substantia &c. in quibus vero partibus ciuile ius eò quod æquitati naturali contrarium esset, à Prætore correctum fuit: nisi ratum ab initio fuisset, in his ab eo corrigi necesse postea neque fuisset, & in alijs pluribus ad æquitatem naturalem, quam ius ciuile migrauerat, percipiendarum hæreditatum ius Prætor suis erexit edictis: eamq; per æquum, & bonum Imperator intellexit institut. de bonor. possess. §. adhuc autem &c. Ac ex his, quæ Modestinus declarat in illo de gradib & affinit. cap. 4. §. cognationis substãtia &c. Vlpiani hæc, quam enarramus, sententia facilè percipitur. Deinde secundum eam regulam, quã Imperator excepit institution.

de

de legit.agnat. tutel. §. vlt. de hæred. quæ ab intest. deferunt §. minus ergo &c. in iure nostro quamquam non eisdem modis, ac agnatio cognatio distrahitur, quasdam tamen cognationes, licet naturali iure constent, nihil ad ius nostrum pertinere iurisconf. confirmat de gradib. & affinib. in cap. 10. §. 1. ibi non parcimus &c. Imper. instit. de capit. demin. in §. penult. quod ergo ad ipsum naturale ius attinet, id semper verum est, quod Pomponius tradit sub tit. de reg. iur. cap. 8. idem q; ex his etiam percipitur, quæ dicuntur sub tit. de rit. nuptiar. capit. 14. §. 1. de obsequi. parentib. & patr. præstan. cap. 1. de accusationibus cap. 12. §. omnibus in vers. item nec lex &c. Atque iure ciuili turpes quosdam haberi, qui naturali iure non sunt, iurisconf. declarat sub titul. de verbo. significat. cap. 42. Ad hæc quia (vt supra vidimus) in eo ipso naturali iure, quo ab initio omnia fuerunt communia; rerum illo statu à gentibus postea commutato, hoc esse cœpit, quemadmodum quid suum cuiusque fiat: & hoc ius gentium à iurecons. vocari sub tit. de acq. rer. domin. cap. 1. de oper. nou. nuntiat. cap. 1. §. nuntiatio fit in vers. quod si quis &c. sub titul. ne quid in loco pub. cap. 4. quod instituto iure seruis interdictum est, vt ne bona sibi acquirere, & habere possint, cuius iurecons. testis est sub titul. de

manu-

manumiss.cap.4.de acquir.rer.domin,in cap. 10.§.1.de verbor.significat.cap.182.Imperat. instit.sub titul. per quas pers. nob. acquir. in §.item vobis &c. id illi naturali iuri contrarium est, quo seruos personas habere iurisc͡o. dicit sub titul. de condict. indeb. cap.64. de reg. iur. cap. 33. & quidem filijsfamilias, & serui peculium, quod iure ciuili parentis atq; domini patrimonio adijcitur, naturali iure ipsius filijsfamilias, & serui proprium esse patrimonium, & hoc modo verba intelligi iurisconſ.de acquir.poss. in cap.24. & Imperat. institut.de actionib. in §. actiones autem de peculio &c. Theophilus declarat instit. sub ti. quod cum eo, qui in alien. potest est, negot. gest.&c.in §. cum autem quæritur &c. Atque ita porrò quibus ex caussis naturali iure rerum dominia nãciscimur, ex his quotiens rei vindicatio competit, ea iure ciuili quoque cum iure naturali concurrente conceduntur, & hoc modo iurisconſ.dictum intelligi sub tit. de rei vindicat. cap. 24. Caij verba demonstrant sub tit.de superficieb.cap.2. Imper.instit.de rer. diuisio.in §. venditæ quoque res, &c. Non semper autem in his cum naturali ciuile ius concurrere; & quibus rerum dominia naturali iure cõceduntur, ciuili vero adimuntur, ijs legitimum, quod ad rei vindicationem proficit, non autem naturale dominium

nium ablatum intelligi,ex his percipitur,quæ Triphoninus tractat, ex quibus Vlpiani dicta hic dulcidantur,sub tit. deposit cap.31. & significanter Imper.expressit.C.de iure doti.in cap.30. Ad hæc quia naturales quas appellãt obligationes, earum naturalem æquitatem caussam esse vidimus, ab his autem ciuiles obligationes,quæ ad actiones proficiunt, frequenter absunt, cuius iurisconf. testis est de oblig. & actionib.in cap. 9. de fideiussor. cap. 17.§.2.ex hoc id apparet, quod Vlpianus hic ait,naturali ciuile ius haudquaquam per omnia seruire, Amplius quoniam is natura debitor,quo cum actio cœpit esse, frequenter ea ipso iure, vel per exceptionem ex his caussis liberatur, ex quibus naturalis obligatio non corrumpitur, imperditaque manet: ex hoc perspicuum fit,ex quibus caussis naturale ius in aliqua parte ciuili iure commutari nec quicquam potest: ex his tamen ab illo ciuile ius recedere,& contra quam in illo,ac in iure generaliter prius constituto fit, aliquid ipso ciuili iure constitui posse.hoc tamen vnde cõcludimus, id frequens esse ex iureconf. probatur sub titul. quodquisque iur.in alter. statuer. cap. 3. §. vlt. de capit. diminut. cap. 2. §.1. de condict. indeb. cap.19. & in cap.60.ad Senatusconf.Macedon.cap.14.rem rat.haber. cap. 8.§.1.de fideiussor. cap.22.§. quod si hic

&in

& in cap. 61. Demum ex quo ad æquitatem naturalem, quæ naturales appellantur actiones, æstimari; supra vidimus, id genus non omnes esse, neque cum naturalibus coniugari, quæ cum illis concurrũt ciuiles obligationes, hasque per se solas actiones parere; ex eo facile conijcere licet; nam ex quibus caussis neque naturales obligationes, nec illas quidem actiones, quæ ad æquitatem naturalem propè modum æstimantur, infringi iurisconf. scribit sub titul. de capit. diminut. cap. 8. ex his modò alias actiones extingui, quamquam naturalis cum illis concurrit obligatio iurisconf. dicit in eius de capit. diminut. cap. 2. §. 1. de fideiussor. cap. 61. nec à Prætore semper illas restitui in eiusdem de capit. diminut. cap. 2. §. vlt. de iudic. cap. 11. Quippe quam in his regulam iurisconf. excipit; de quibus in illo de capit. diminut. cap. 8. loquitur, ea non semper in eisdem recipitur, quin per eas exceptiones procul dubio corrumpuntur, per quas naturales obligationes non etiam corrumpi iurisconf. dicit sub tit. de condict. indeb. cap. 60. rem rat. haber. cap. 8. §. 1. & in alijs id genus actionibus ciuilia quædam præcepta recipi, quæ aliter atque ius naturale se habent, nec illud immutant Triphoninus ostendit (cuius dicta plenius infra nos exponemus) sub tit. deposi. cap. 31.

§. Hoc

§. Hoc igitur ius noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto, vt apud Græcos.

Τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι.

vij. Papinianus lib. ij. Definitionum.

Ius autem ciuile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis Principum, authoritate prudentum venit. Ius Prætorium, quod Prætores introduxerunt adiuuandi, vel ſupplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratia propter vtilitatem publicam: quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum.

viij. Martianus lib. 1. Institutionum.

Nam & ipsum ius honorarium viua vox est iuris ciuilis.



IVS in legem, morem, & æquitatem M. Tullius diuidit in topicis. Apud Fabium iuris extat huiusmodi diuisio in libro 12. omne ius, quod est certum, aut scripto, aut moribus constat. Dubium æquitatis regula examinandum est. Quæ scripta sũt, aut posita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem, cognitionis sunt enim, non inuentionis. At, quæ consultorum responsis explicantur, aut in verborum interpretatione sunt posita, aut in recti prauique discrimine, vim cuiusque vocis intelligere, aut commune prudentium est, aut proprium oratoris; æquitas optimo cuique notissima est. Alibi Cicero in eodem topicorum libro propè finem, omni iuri æquitatis indito nomine, eius institutionem sic distribuit, institutio autem æquitatis tripartita est, vna pars legitima est, altera conueniens, tertia moris vetustate cõfirmata, eiusque diuisio hæc in eam recedit,

quam

quam iuris ſupra fecit, ex quo quia per inſtitutionem æquitatis vniuerſum ciuile ius intellexit, illud ſupra tripartitò diſtribuiſſe colligimus in legem morem, & æquitatem. ſuperius vero in legibus Senatuſconſ. rebus iudicatis, iuriſperitorũ auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate id conſiſtere dicit. Ac illud Boethus quoque in libello de diffinitione à Cicerone poſtea dumtaxat in legem, morem, & æquitatem partitum intelligens, eà diuiſione illius non omnes partes, ſed ex his quia penè innumerabiles ſunt quaſdam tantum comprehendere voluiſſe ratus eſt, à qua Boethi opinione idem Cicero nos auocat, qui (vt diximus) ciuile ius inferius per æquitatis inſtitutionem intelligens, tripartitam inquit eſſe, vnamque legitimam, alteram conuenientem, tertiam vero moris vetuſtate confirmatam. Atque legis, & legitimæ æquitatis nomine ſcriptum omne ius eum comprehendere teſtem ipſum adhibemus in rhetoricis dicentem, lege ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, vt obſeruet, continetur. in eaq; ſignificatione legis vocabulo Caius itẽ vſus eſt in huius tit. cap. 9. vbi vero ſcripti iuris partes idem Cicero ſingulas enumerat, apud eum rectè Boethus inquit, lex eſt, quam populus centuriatis comitijs ſciuerit. Cur autem ſcripti iuris ea ſpecies cum cœteris com-

mune proprium nomen efficiat, rationem Theophilus affert institution. sub titul. de iure natural. gent. & ciuil. in §. lex est &c. illud quoque notandum est, per æquitatem legitimam ius intelligi tam illud, quod legis simul atque mens atque verba, quam illud, quod legis sola mẽs efficit: nam verbum ex legibus sic Vlpianus excepit sub titul. de verbor. significat. cap. 6. Non autem oportere ciuile ius calumniari, neque eius verba captari, sed qua mente aliquid dicatur, animaduertere nos Paulus admonet sub titul. ad exhibend. cap. 19. & scripto legislatoris mentem Modestinus anteponit sub titul. de excusat. tutor. cap. 15. §. illud vero inuenimus. &c. deinceps quia Cicero (vt diximus) à natura prius institutionem seperat, cuius mox partem quandam conuenientem nominat, eamque nos ad eandem referimus, quam vbi ius ciuile diuidit, eius alijs partibus datis proprijs nominibus, communi æquitatis nomine designat. per illam apud eum Boethus, quod naturalis ratio persuasit, non rectè intellexisse videtur. similiter & auctor ad Herennium in libro secundo à natura pariter vt à consuetudine, ac lege æquum bonumque secernit, ex quo ius constare subiungit, quod ad veritatem, & vtilitatem communem pertinere videtur. id autem eam institutionis æquitatis partem esse

quam Cicero conuenientem nominat, illius hæc verba indicant, ex eo (subaudimus) bono & æquo ius constitui conuenit ex temporis, & hominis dignitate. A natura vero pariter vt à lege, & more æquitatem hi seperantes, quam iuris ciuilis partem esse volunt, naturæ nomine eius vniuersum ius intelligunt, cui ciuile per omnia seruire non oportet: quia vero nec in totum hoc ab illo recedit, ex iure naturali, quæ ad ius ciuile trãsferuntur, ea boni, & æqui, vel æquitatis nomine à iure distinguunt scripto, vel more constituto. Non omnia porrò scriptis legibus comprehẽdi posse, quæ his addi, vel detrahi oportet: ea vero ex qua parte cognoscuntur, eam à legitimo iure boni, & æqui, vel æquitatis nomine distingui Aristotiles amplè declarat rhetor. lib. 1. cap. 13. & 15. ethicor. magnorum lib. 2. in cap. 1. ad Nicomacum lib. 5. cap. 15. Aequitatis, & boni, & æqui nomen cum generale sit, in eius interpretatione, quod à Celso dictum Vlpianus refert, ius est ars boni, & æqui. pariter hi omnes errasse videntur, quorum aliqui ea verba sic intelligunt, vt in iure nostro, quæ sũt ea partim æqua, sed non bona; partim vero bona sed non æqua sint. Alij vero de eo bono & æquo iurisconf. locutum intelligunt, quod Cicero per eam æquitatis partem intelligit, quam conuenientem nuncupat. Verius est,

bonum,& æquum similiter atque ius pluribus modis dictum esse; quod ergo Celsus ait, ius est ars boni, & æqui. de vniuerso ciuili iure dictum accipimus.idq; bonum, & æquum ciuile est. Ab eo vero cum naturale ius distinguatur,quod pariter bonum,& æquum appellatur,boni,& æqui nomine quoties ius quoddam præstantius,vel melius denotatur,vel id à iure discernitur,id ius intelligitur, quod sine aliquo scripto,vel instituto suapte vi recta naturalis ratio efficit, de quo iurisconf. loquens,naturale ius semper æquum, & bonum esse dicit in huius titul.cap.11. ex eo id effici, iam supra demonstrauimus, quod bonum, & æquum dicitur sub titul.si cert. petat.cap.32. de condict. indeb. cap.65.§.quod ob rem &c. & in cap.66.quod item bonum,& æquum esse iurisconf.asserit sub titul.de iure doti.cap. 7. §.1.idem ex naturali iure sumi,eiusq. dicti ratio,quæ cæteros latuit, ex iurisconf. percipitur de cap.diminut.in cap. 8. quod bonum, & æquum Vlpianus sub titul. siquis cautio. iud. sistent.caus.fact.non obtemp. cap. 2.§. si quis tamen in vers.si tamen &c. id ipsum naturale ius Modestinus vocat de excusat. tutor. in c. 15.§. sed si ob valitudinem &c. eodem id bonum, & æquum esse cognoscitur quod huiusmodi Caius esse confirmat sub titul.de noxalib.action.cap.30.de damn. infect. cap. 19. &

illud alterum de quo loquitur sub tit. ꝙ cum eo,qui in alien.poteſt. eſt negot. geſt. eſſe dicet,cap.1. A iure cum ergo bonum, & æquum vel æquitas diſtinguitur,ius nũcupatur, quod ex ſcriptis, vel legibus, vel priuatorum cautionibus exquiritur: æquitatis vero,vel boni, & æqui omni iuri commune nomen id proprium efficit, quod ex his, quæ circumſpicit, recta ratio cõſtituit, & hoc modo æquitatem à iure Cicero diſtinguit in oratione pro Cecinna, vult(inquit) Cecinna hanc me cauſam verboſius explicare:non quod euentum litis timeat, quippè qui certiſſimo iure nitatur, ſi vti velit iure ſibi legibus,& moribus cõceſſo: ſed cauſam ſuam iudices vult vobis æquam probari,non modo certam: & æquitate quoque non modo iure niti : & item à noſtris huiuſmodi diſtinctio identidem fit de legib.cap. 24.de pact.cap.53.ſ. vlt.de inſtitor.action.c. vlt.C. ſub titul.de eden. c.4.& cap. 8. de prohib.ſequeſtrat.pecu.cap.1.eoque modo, quod ius dicitur, ei addenda, vel detrahenda vnde cognoſcuntur, æquitatem nuncupari ex M. Cicerone colligimus in tertio officiorum dicente, ius Craſſus vrgebat; æquitatem Antonius,& Vlpiani his verbis,licet hoc iure contingat, tamen æquitas dictat &c. de pecul. in cap.33.& Pauli huiuſmodi, hæc æquitas ſugerit,etſi iure deficiamur de aq.& aq.plu. arcen.

c.2. §. quamquam &c. eodem modo æquitas dicitur de his qui deicer. vel effud. cap. 5. in §.interdum &c.Eo quoq; modo (vt diximus) bonum,& æquum iuriſconſ.accipit ſub tit.de minorib.c.25.§.1.de his,q deiec. vel effuder. c.5.§ haec aũt actio.verſ.quippè q &c.de religioſ.& sũpt.fun.c.14.§.hæc actio,quæ funeraria dicit &c. de obligat.& actiõ c.33.de iniur. c.11.§.1.& in c.18.de ſepulch.violat.c.10.ſub tit. mandat. c.12.§. ſi mihi &c. de fideiuſſor. nomin.& hæred. tut. c. 4.in verſ. quantas &c. de obligat.& action. cap.2.inſtitut. de locat. & conduct.in §.conduct.&c.& à iuriſconſ.ſub tit.de ædict.edict.cap. 18.de manumiſſ. teſta. cap.22.§.vlt.de legat.1.cap.74. §.in pecunia &c.& à iure diſtinguitur de condiction. & demonſtrat,cap.16.de verbor. obligat. cap. 91. §. ſequitur &c. A quo vero hæc diuidi ſolet id ipſum ius ciuilis æquitas à iuriſconſ.vocatur digeſt.in lib.47.tit.4.cap.1.§.1.vbi naturalem ab illa ſecernens æquitatem, hanc naturalem oſtendit eſſe, quæ ab inſtituto iure diſtinguitur æquitas, ipſamq; ne pilo quidem à naturali iure diſtingui ex iuriſconſ. verbis manifeſtatur ſub titul.depoſ. cap.31. de ſolution.cap.95.§.naturalis &c.de acquir.rer. domin.cap.9.§.hæ quoque res &c & imper. inſtit.de rer.diuiſ.in §. per traditionem &c. Ac ex ipſo naturæ iure fidem ſæpè fieri,idq; ſuppleri,

pleri, quod in lege deest iurisconſ. oſtendit de excuſat.tut.cap.15.§. ſed ſi ob valitudinem &c.de condict.cauſ.dat.cauſ.non ſecut.cap.3. §.ſi quis quaſi &c. de action. rer. amot.c.25. de accuſat.cap.12.§. omnibus in verſ. item nec lex &c. eiuſdemque moderamine ambiguas, atq; legum diuerſis interpretationibus titubantes cauſas temperari Imperator aſſeuerat.C.de bon.quæ liber. &c. in cap. 5. His explicatis; quoniam Cicero (vt vidimus) iuris ciuilis partibus res iudicatas annumerat, auctoris ad Herennium in lib. 2. de his hæc verba ſunt, iudicatum eſt id, de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum, ea ſæpe diuerſa ſunt, vt aliud iudici, aut prætori, aut conſuli, aut Tribuno pleb. placitum ſit: & fit, vt de eadẽ re ſæpè alius aliud decreuerit, aut iudicauerit; quod genus M. Druſus Prætor Vrbanns, quod cum hæredæ mandati ageretur, iudicium reddidit. Sext. Iulius non reddidit. Item C.Cælius iudex abſoluit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in ſcena nominatim leſerat. P. Mutius eum, qui l. Accium poetam nominauerat, condendauit. Ergo quia poſsũt res ſimili de cauſa diſſimiliter iudicatę proferri, cum id vſu venerit, iudicẽ cũ iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iuditiorum proferemus. &c. hæc ille. Ariſtoteles vero in principio rhetoricorum iu-

dicum in arbitrijs ea relinquere non oportere, quæ legibus explicari possunt; triplici ratione probat. earumque postrema Theophil. institution. de iure natu.gent.& ciuil.in §.prætorum,&c. Magistratus, quorum edicta non modicam iuris auctoritatē obtinuisse Imperat. ibi narrat. per decreta non idem constituere potuisse testatur, & quidem secundum prius per edicta constituta iura decretis postea reddere debuisse Pomponius indicare videtur sub titul. sequenti. cap.2. in §. eodem tempore, & magistratus iura reddebant, &c. & apertius Vlpianus de postulan.in cap. 1.§. an autem & prætor.&c.sic principalibus prętorum decreta auctoritate haud paria fuisse, quod Vlpianus ibi significat, idem non obschurè sentiit de ferijs in cap. 1.de minorib. in cap.3. deinde de rebus iudicatis Ciceronis dicta sic intelligimus, certo quidem iuri per illas neutiquam derogari potuisse, nā quod Aristotiles subiungit, id etiā à nostris iurisc. vsurpatum video, quod iudicantium in arbitrijs facti, non item iuris quæstio sit, sub tit. ad Senatusconf.Turpyll. cap. 1.§.1.ad municipal. cap. 15. in dubio vero prius iudicatarum rerum exemplo cæteras quoque iudicari, id ab Imperatore fuisse rescriptum Callistratus refert sub tit. de legib. & Senatusconf. cap. 37. At vero Theophilus institut. de iure

nat.

nat.gent. & ciuil.in §. sed quod principi. &c. Magistratus decreto (scribens) non omnem similem quocunque tempore exortam controuersiam, sed tãtum eam, de qua agitur (nisi intercesserit appellatio) dirimi. ad eam Iustiniani constitutionem respexisse videtur sub tit. C. de sentẽ. & interloq. iud. 13. De reliquis scripti iuris partibus, quas hic Papinianus enumerat, Pomponius amplè sub sequenti tit. tractat: ibique nos quoque dicemus.

Caius lib 1. institutionum.

Omnes populi, qui legibus, & moribus regũtur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est, vocaturque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur: vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur.



MNE ius Caij sententia aut omnium hominum communis natura manat, idque ipsorum omnium commune aut legibus, vel moribus cō stituitur, idq; his vtentium proprium est. Cumque legibus, & moribus nonnulla firmentur à natura profecta, quam iuris esse fontem Cicero scribit in tertio officiorum; omnes populi, qui his reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur. Caij dicta hæc Imperat. institution. descripsit de iure natur. gent. & ciuil. in §. ius autem ciuile, &c. his eiusdem Caij similia dicta reponuntur de acq. rer. domin. in cap. 1. & Imperator, quod iusgentium Caius vocat naturale ius esse declarat institution. de rer. diuis. in §. singulorũ, &c. idemque Imper. his similia scribit institution. de iur, natur. gent. & ciuil. in. §. sed naturalia quidem iura, &c. De populis vero Caius eos omnes legibus, moribusq; regi, dicit, nam vt Cicero in secundo officiorum inquit, vrbes sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges moresque constituti: tum iuris æqua discriptio. dissipati scilicet quondam homines in montibus, & syluis neque moribus, neque lege, aut Imperio

rio cuiusquam regebantur: his vero confestim vti, vt in populos conducti ciuitates condere, cæperunt, quod Imperator scribit institution. in illo de rer. diuis. §. singulorum. Deinde Caius, quod supra diximus, sentijt, hic penes ipsos populos, quo regerentur, Imperium, & illud ad magistratus deferendi ius ab initio fuisse. ex hoc enim quia ex ipsis ad magistratus Imperium delatum fuit, quod ius ab his constituitur (quorum nomine, vt supra vidimus) reges quoque Pomponius comprehendit sub tit. seq. cap. 2. §. post. originem &c. Imper. in illo §. singulorum) id omne eo subnixum intelligens, quod quisque populus ipse sibi ius constituit, quod etiam Theophilus declarat institution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. lex est &c. ius omne, quod scripto, vel moribus constat, eo circumscribit, quod quisque populus ipse sibi ius constituit. similique loquendi modo Imperat. vtitur institution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. sed naturalia quidem iura &c. etenim vnde facti principiũ huiusmodi profectum est, ab eo id quodamodo factum videri Aristotiles dicit in libro tertio ad Nicomacum & iurisconf. de administra. tutor. in cap. 5. §. gessisse autem, &c. de manumiss. vindict. in cap. 22. omne ius autem quod ex scriptis legibus, vel moribus proficiscitur, id eius ciuitatis proprium, cui scripta lex

ta lex, vel consuetudo parta fuit, eò sanè dicitur, quoniam extra eos, qui eiusdem sunt ciuitatis, ad alios populos non extenditur. de lege Demosthenem dicentem secundum eam viuere omnes oportere, qui in ciuitate sunt, iurisconsultus refert de legib. in cap. 2. & a Cicerone (vt supra vidimus) in topicis, ius ciuile æquitas esse dicitur constituta his, qui eiusdem ciuitatis sunt. idemque Cicero hæc in primo de legibus declarat his verbis, inter quos porrò est communio legis, inter eos cōmunio iuris est: quibus autem hæc sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt. ius nostrum, quo omnes teneri populos, qui sub Romano sunt Imperio Imperator ait C. de Iudæis, & cælicol. cap. 7. de legibus in c. 3. & in cap. 9. & in lib. 11. de conduct. & procur. seu exactor. præd. fiscal. & dom. August. c. 1. instit. in proem. §. omnes vero populi &c. idipsum ius nostræ ciuitatis proprium Caius ipse dicit in illo de acquir. rer. domin. cap. 1. & Imperat. institutionib. de obligat. in principio. Naturæ rationem cuius iurisconf. hic mentionem facit, & in illo de acquir. rer. domin. cap. 1. cum recta ratio sit, legem esse, & ea ius constitui, à Cicerone sæpius dictum in cōpluribus locis iam supra vidimus. Ab hoc autem iuregentium, qui putant, id non differre, de quo Hermogenianus supra loquitur, eorū

opinioni

opinione Caius suffragari videtur, q hoc vnū à iure ciuili gentiū ius distinguit, ꝙ naturali ratione constitutum esse dicit hic & in illo de acq.rer.domin.cap.1. & à iure naturali, qui iusgentium discernunt, hoc illorum nemo diuidit. rursus quia naturali iure omnia primò fuerunt communia, quorum ex iuregentium dominia distincta fuisse Hermogenianus inquit, de eo iuregentium Caius ipse loqui videtur in illo de acq.rer.domin,cap.1. pariter ex quo iuregentium conuentiones introductas fuisse Hermogenianus ait de eo iurisċōs. loqui videtur de contrahen.emption. in cap. 1.§.vlt.locat.in cap. 1.de præscript. verbi. c. 27.de regul.iur.in cap. 85.§. 1. Dein ex iure. gentium, quæ ex hostibus capiuntur, ea capientium fieri Caius ipse dicens de acquir. rer.domin.in cap. 5. §. vlt.id ex eo effici, ex quo bella, & seruitutes introductas fuisse Hermogenianus ait, in eoque idem esse, quod supra naturali ratione constare dixerat, intellexisse videtur. Atque tandem in eius iurisgentium exemplis de quo Caius hic loquitur, hæc etiam vt contractus celebrentur Theophilus reponit institution.de iure natur.gent. & ciuil.in §. ius autem ciuile &c.ex iuregentium vero de quo Hermogenianus loquitur illos introductos esse Hermogenianum velle Imperator intellexit sub eo titul.in §.ius autem

tem

tem gentium &c. in hac autem opinione qui sunt,quæ ex his probabilis videri potest;à vero multum aberrant. Nam quia extra illud naturale ius, quod omnium animalium commune esse Vlpianus considerat: alterum esse soli hominum generi à natura datum, abnegare fas non est, de quo Paulus loquitur in huius titul.cap.11.Imper. institution. in illo de iure natur. gent. & ciuil.§. sed naturalia quidem iura &c. Cũ ab illo omnium animalium communi diuiditur, iusgentium vocatur quod hominum generi natura præscripsit. Cũ vero ab eo naturali iure,quod hominum proprium est iusgentium secernitur, iuris naturalis nomine iusgentium hoc intelligitur, de quo Caius ipse loquitur:ab eodẽ vero, quod iusgentium distinguitur illud est, de quo Hermogenianus loquitur: eorumque differẽtiam præter alios,ex quibus illam supra dimõstrauimus, Gratianus ipse declarat: etenim Caius ipse de quo iuregentium hic loquitur, id cum ipso humano genere proditum fuisse dicit in illo de acquir. rer. domin. cap. 1. quod Imperator excepit institution. in illo de rer. diuis.§. singulorum &c. idipsum ergo per naturale ius Gratianus intelligens in initio quintæ distint. & in calce sequentis. ab hoc iusgentium Isidorum distinguere clarè sentijt, cuius verba in prima distint. retulerat.

idemq; ex eiusdem Isidori verbis palam est: Nam iuris naturalis à quo iusgentium distinguit, acquisitionem esse dicit, eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur: eam vero eius iurisgentium esse de quo Caius ipse loquitur, idem Caius exprimit in illo de acquir. rer. cap. 1, ab hoc ergo distinguitur, quod à iure naturali iusgentiũ Isidorus ipse separat: eiusdem naturalis iuris liberorum successionem esse idem Isidorus ait, eam vero huius iurisgentium esse, quod naturali ratione constitui Caius inquit, ex iureconſ. probatur de bon. dannat. in cap. 7. in eodemque naturali iure depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutionem esse volens, id per iusgentium iurisconſ. intelligere nos docet in illo de regul. iur. cap. 85. §. 1. quod item ex Triphonini verbis colligitur sub tit. depoſ. in cap. 31. Ac ex his cum intelligamus, quod naturale ius Paulus iuriscon. infra vocat in cap. 11. ab eo iusgentium Isidorum distinguere, cuius neque mentionem Paulus facit, de isto Caium non loqui, quod à nobis defenditur, incredibile non esse debet, quando similiter, vt Caius, & Paulus ipse ab illo ius ciuile solũm distinguit. quod vero asserit, naturale ius sẽper æquum, & bonum esse. Isidorus quoq; voluit, qui eius expositis exemplis hæc verba subdit, nam hoc, aut si quid huic simile est, numquam iniustum,

ſtum, ſed naturale æquúmque habetur. Naturale id ergo iuſgentiũ vocatur, quod naturalis ipſa ratio ſuapte vi efficit, illud alterum vero naturale vocari non poteſt, quod vſu exigente, & humanis neceſſitatibus efflagitãtibus gentes ipſas ex ſe ſe inſtituiſſe Imperator declarat inſtitution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. ius autem gentium &c. quod ſic intelligimus, hoc ex facto ipſarum gentium prorepſiſſe, nec aliter in rerum naturam prodijſſet, quia nec opus fuiſſet, ſi naturali iure vixiſſent homines. Naturaliſque ratio dicitur religionis erga Deum, & charitatis, qua homines inuicem ab initio natura deuinxit: ex quibus vero neceſſitatibus ad illud alterum iuſgentium deuentum fuit, earum ipſius humanæ charitatis perturbationem cauſam fuiſſe, iam ſupra declarauimus. Ex ipſo vero inſtituto iure quæ ſumpſerunt originem, ea quoniam eo iuregentium qualia ſint omnia dijudicantur, quod natura conſtat, eorum ex his, quæ hoc admittit, multa idem efficit, quæ prius in eo non erant: & hoc modo in eo ipſo naturali iure, quo ab initio omnia ea communia fuerunt, quorum dominia ex iuregentium diſtincta ſunt; id non ab initio fuiſſe, ſed eſſe poſtea cæpiſſe, quibus ex cauſis ea ſingulis acquirantur: vt contractus celebrentur, quod Theophilus vt diximus affirmat;
ac item

ac item quibus ex caufis obligationes cõtrahantur: iam fupra declarauimus. His congruenter Cicero in primo de legibus, atqui nos (inquit) legem bonam à mala nulla alia, nifi naturali norma diuidere poffumus: nec folum ius à natura dijudicatur, fed omnino omnia honefta, ac turpia. eademque iurifcõf. nos docet de minorib. in cap. 1. de legat. præftan. in cap. 1. fub titul. vnde cognat. in cap. 2. de precar. in cap. 2. §. 1. de doli mal. & met. exception. in cap. 1. fub titul. fi is, qui teftam. lib. effe iuff. &c. in c. 1. §. 1. de captiu. & poftlim. reuer. in cap. 19. & Imper. C. de Epifcop. & cler. in cap. 35. in §. omnes præterea &c. de bon. quæ liber &c. in cap. 5. fub titul. quor. bonor. in c. vlti. inftitution. de attilian. tutor. in §. impuberes &c. de hæred. quæ ab inteftat. deferunt in §. item vetuftas &c. & in alijs innumerabilibus locis. Reftat autem, vt exponamus de quo iuregentium Caius loquatur de acquir. rer. domin. in c. 5. §. vlt. eum de iuregentium loqui, ex quo bella introducta fuerũt Imperator intellexiffe videtur inftitution. de rer. diuif. in §. item ea, quæ &c. Theophilus autem ibi de eo potius, quod naturale effe dixit in §. fingulorum &c. ego vero fic intelligendum exiftimo, vt iuris naturalis id non effe puretur, vt in his rebus, quæ hoftibus adimuntur, eis victores ipfi potiores fint: hoc enim

ex instituto iure introductum fuisse, Aristotelem testem adhibeo in libro primo polit. in principio quarti capitis. ex ipsis vero qui vincunt, quod in his rebus ipsi, qui illas capiunt cœteris omnibus potiores sint, hoc iuri naturali consentaneum sit: cuius simile est, quod Cicero in libro secundo offitiorum ait, iustitiæ rationem esse, vt archipirata æquabiliter sotijs prædam dispertiat. & Triphoninus iurisconf. sub tit. depos. in c. 31. §. 1. in vers. quod si ego ad ea petenda non veniam &c. & huic opinioni iurisconf. suffragatur etiam de acquiren. possess. in cap. 1. His porrò, quæ de naturali ratione dicta sunt, addendum est, eam per naturam intelligi, & in iure sotietatis humanæ id esse, quod secundum illam esse dicitur de regul. iur. in cap. 10. & cum eo congruit quod naturalis rationis esse dicitur de petit. hæred. in cap. 39. §. vlt. de vsufruct. in cap. 25. sub titul. commod. in cap. 18. in §. possunt &c. in eodem ea sunt, quæ eiusdem naturalis rationis esse iurisconf. dicunt de negot. gest. in cap. 41. ad leg. Aquil. in cap. 4. de seruitut. vrban. prædior. cap. 7. sub titul. pro sotio in cap. 84. eiusque ad eam partem, quod pietatis ius appellatur, id pertinet, quod naturali rationi iurisconf. ascribit de bon. dannat. in cap. 7. de liber. agnoscend. in cap. 5. §. parens &c. Imperator institutioni de nuptijs in principio. Ad

hæc

hæc naturalis ratio non ea sola, quam diximus, appellatur, sed omnis præterea, quæ à rerum natura trahitur, secundum quam ius constitui testis iurisconf. est de adoptionib. in cap. 16. de interrogat. action. cap. 14. §. 1. & in cap. 15. §. vlt. de vsur. in cap. 28. §. 1. de acqui. possess. in cap. 3. §. ex contrario &c. de obligation. & action. in cap. 1. §. furiosum, & §. mutum de verbor. obligat. in cap. 75. §. illud de regul. iur. in cap. 148. §. 1. Imper. institut. de adoption. in §. minorem de rer. diuis. in §. in pecudum &c. & hoc modo naturalis ratio dicitur apud iurisconf. de vsufruct. earum rerum quæ vsu cōsum. cap. 2. §. 1. de obligat. & actio. in cap. 1. §. si id quod &c. apud Imperat. C. de non numer. pecun. in cap. 10. de caduc. tollen. in cap. 1. §. in primo &c. institution. de vsufruct. in §. constituitur. Non omne vero ius à communi hominum natura ductum, sed hactenus id ius gentium appellatum esse, quatenus vbique gentium vsu quoque receptum & constitutum sit, falsò quosdam existimasse, cū supra dixerimus, hic addendum est, à quo iure naturæ ciuile ius frequenter lōgè disiunctum esse Cicero, & Vlpianus aiunt, illud eos iusgentium nominare: eius autem ab ea parte, cui omnium nationum accessit vsus. diuersum ciuile ius esse, dictu, quam sit absurdum Salustij ex eo in Catilina colligi potest, ius

bonumque apud eos, nō magis legibus, quam natura valebat. In iure societatis humanæ id esse probo; an autem vbique gētium vsu quoque receptum sit, certum non habeo, quod iurigentium iurisconſ. aſcribit de donation. in cap. 29. §. vltim. Hoc ergo naturæ iure, quod generaliter iusgentium nominari dicimus, omnes gentes vti ab Vlpiano ſuperius, & a Caio hic dictum ſic accipimus, id earum omnium commune esse, & seruari cum omnibus oportere ſiue eiuſdem ciuitatis, vel gētis, ſiue peregrini externiq; ſint. ideq; ius naturali ratione apud oēs custodiri pro custodiri debere nos apud Caium intelligimus. Nam de omni eo, quod natura omnium hominum commune ius eſt, vt Caius hic de iuregentium, per quod illud accipimus, ſimiliter Imperator loquitur inſtitution. de iure nat. gent. & ciuil. in §. ſed naturalia quidem iura, &c. Poſthæc admonendi ſumus, ab hoc iuregentium ciuile ius pluribus modis esse diſtinctum: Nam vno modo iuriſgentiū ea pars, cui ciuile ius acceſſit, vt ſupra vidimus, ciuilis iuris appellatione comprehenditur, alio modo iuriſgentium nomine illius ea pars deſignatur; ius autem ciuile dicitur, quæ in his conſiſtit, quæ à iure naturali, quod iusgentium vocant, aliena ſunt, & hoc modo ea diſtinguunt Caius ipſe in illo ſæpè citato de acquir. rer. domin. cap. 1. Imperat.
insti-

institution. de rer. diuis. in §. singulorum, &c. de vsu, & habitat. in §. vlt. Paulus de rei vindicat. in cap. 24. Martianus de pœnis in cap. 17. huiusque declarationis Imperatorem quoq; testem adhibemus institution. de rer. diuis. in §. venditæ quoque res &c.

x. Vlpianus lib. 1. regularum.

Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. Iuris præcepta sunt hæc, honestè viuere: alterum non lædere: suum cuique tribuere.



A iustitia quidem ius atq; iuris prudentia plurifariam distinguitur: nam vno modo iustitia æquitas illa dicitur, ex qua iuris repetunt originem, & hoc modo iustitiæ pariter, vt æquitatis recta illa ratio dici solet, qua ius, & iniuria dijudicatur. Ac ex his Ciceronis verbis in topicis, cum de æquo, & iniquo disseritur, æquitatis loci colliguntur. æquitatem eum iuris, & æqui fontem appellare iam supra notauimus,

his deinde subiungit, æquitas tripartita dicitur esse; vna ad superos, altera ad manes tertia ad homines pertinere. prima pietas: secunda sanctitas: tertia Iustitia, atque æquitas nominatur. apud auctorem ad Herennium iustitia æquitas esse dicitur, ius vnicuique tribuẽs pro dignitate cuiusq; Alio modo ex quo præcepta feruntur, quibus imbuti, quibusue subiecti esse debemus, id ius est, eorum sciẽtia, quæ in illo sunt, iurisprudentia; his autem, quæ iurisprudentia diligit, benè vetus obtemperatio hisue exequẽdis comparatus habitus, ea moralis virtus appellatur, cuius pars quædam iustitia nuncupatur, & hoc modo ius quidem prius est, eo iurisprudẽtia posterior virtutem præcedit, quam scilicet moralem nominant. Hoc modo iustitiam Cicero in secundo rhetoricorum accepit, iustitia est (inquit) habitus animi communi vtilitate conseruata suam cuique tribuens dignitatem. eius initium est ab natura profectum, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt: postea res, & ab natura profectas, & à consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit. Huius initium, quod à natura profectum esse vult, id esse intelligit, vnde quæ ad eam pertinent, præcepta sumunrur, id societatis humanæ ius est. ipsam vero iustitiam cœterasque morales virtutes in singulis hominibus haud

natura

natura confici, sed moribus diuturnis inseri, & cōfirmari philosophus docet ad Nicomacum in libro secundo, & iterum in sexto in postremo capite. Naturæ lege temperantia quoque subnixa est, quæ à Cicerone esse dicitur rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio naturæque lege rationi appetitus subiectos esse, idem Cicero scribit in primo offitiorum. Cumque ius id appelletur, quod naturæ lege sancitum est; Cicero tamen rhetoricorum in illo secundo libro, non vnde circa temperantiam, sed vnde circa iustitiam præcepta hauriuntur, ius appellat; & iustitiæ partes, quę sunt, in iure naturæ ponit; vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam veritatem. idemque Cicero post distributam, in topicis æquitatem, cuius partem, quæ ad homines pertinet, iustitiam vocari dicit: iuris partes (subiungit) tum expositæ, cum æquitatis, quibus ex verbis colligere licet, in quo iustitiæ forma continetur, id ius eum appellare; ex tribus autem iuris præceptis, quæ Vlpianus hic affert, ad temperantiam respicit illud honestè viuere. Iustitiam vero aliter atque Aristoteles in libro quinto ad Nicomacum M. Tullius, & ille ad Herennium in his locis acceperunt. Aristoteles enim (vt supra vidimus) generalem quandam iustitiam ponit,

quæ virtutes complectitur omnes. De qua vero Cicero, & ille ad Herennium loquuntur, ab ea ipsi temperantiam atque fortitudinem pariter distinguunt. easque idem Cicero in libro tertio de natura Deorũ similiter secernẽs ait, quæ suũ iustitia cuiq; distribuit, quid pertinet ad Deos? hominum enim societas, & communitas iustitiam procreauit. temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis, & in libro primo officiorum ita scribit, sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri, solertiaq; versatur, aut in hominum sotietate tuenda, tribuendoque suum cuique, & rerum contractarum fide, aut in animi excelsi, atque inuicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine, & modo, in quo inest modestia & temperantia. & inferius in eo libro iustitiæ non omne id esse, quod aduersus alterum seruandum est offitium: in hæc verba declarat, adhibenda est quædam reuerentia aduersus homines: est autem quod differat in omni ratione habẽda inter iustitiam, & verecundiam: iustitiæ partes sunt, non violare homines, verecundiæ non offendere. quippè quia animi diuersi sunt affectus, qui his virtutibus regũtur: ea ratione ipsarum quoque virtutum diuersitas constituitur. Eidemque iustitiæ de

qua

qua sic Cicero loquitur, æquabilitas illa subiecta pars est, in qua tota ea iustitia consistit, quam Aristoteles generali iustitiæ subiectam ab illa secernit. Ac iustitiæ quidem Cicero in primo offitiorum primum munus esse dicit, vt ne cui quis noceat; & post pauca hæc esse fundamenta subiungit, primum vt ne cui noceatur: deinde, vt communi vtilitati seruiatur ex quibus ad eãdem iustitiam hæc iuris præcepta pertinere videntur: alterum non lædere: suum cuique tribuere. Cum ergo eum, qui ira alteri conuicium facit, aut vim infert, nihil contra spetialem iniustitiam agere, sed aliò has iniurias referri Aristoteles ipse dicat illius quinti libri in secundo capite: palam est, quod diximus, eam, de qua sic ipse loquitur, eius iustitiæ de qua Cicero loquitur, partem esse. Iustitiæ partibus vtemur ad Herennium auctor subiungit in illo tertio libro, si aut innocentum, ant supplicum dicemus misereri oportere: si ostendemus benè merentibus gratiam referri conuenire: si demonstrabimus vlcisci malè meritos oportere: si fidem magnoperè censebimus conseruandam: si leges, & mores ciuitatis egregiè dicemus seruari oportere: si societates, atq; amicitias studiosè dicemus coli conuenire: si quod ius in parentes, Deos, patriam natura comparauit, id religiosè colẽdum demonstrabimus: si hospitia,

ſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſtè colendas eſſe dicemus: ſi nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec ſimultate à via recta oſtendemus deduci oportere: ſi dicemus in omnibus ius æquabile ſtatui conuenire. Ac ex his naturalis iuſtitiæ partes eſſe colligimus, quæ in iure naturæ Cicero ponit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, veritatem, & in eiuſdem naturalis iuſtitiæ partibus hoc, vt quæ deſcripta ſunt legibus, & in iure ciuili, hæc ita teneantur, vt ſit conſtitutum Cicero pariter adſcribit in primo officiorum. ex eoque id fieri videri poteſt, quod Ariſtoteles affirmat, vt appellatione iuſtitiæ omnium virtutum comprehendatur vſus, quas leges in ciuibus requirunt. & Lactantius diuinarũ inſtitutionũ in quinti libri capite quinto de ipſa iuſtitia dicit, ꝙ aut ipſa ſola virtus eſt, aut fons eſt ipſa virtutis, & in capite quintodecimo ꝙ ſimul omnes virtutes complectitur. At eius generalis iuſtitiæ diffinitionem, quam Ariſtoles ponit, hic à iuriſconſ. traditam eſſe, qui audacter affirmant, aliter exiſtimantium opinionem probris, & riſu dignam eſſe volentes: hi quidem delirare videntur. Nam illius Ariſtoteles eſſe dicit; non hoc ſolum vnicuique ſuum ius tribuere: ſed totum illud offitium aduerſus alterum ſeruare. Cuius vero proprium

prium hoc esse dicitur, suum cuique tribuere, ab ea Cicero. & ille ad Herenium temperantiam, & item fortitudinem, vt supra vidimus distinguunt, eiusque iustitiæ id proprium esse idem Cicero in libro quinto de finibus de ortu humanę charitatis loquẽs plenius exponit, & ex eius ibi dictis perspicuum fit, quod in tertio offitiorum de hac ipsa dicit, hæc vna virtus omnium est domina, & regina virtutũ eiusque solius non etiam aliarum virtutum diffinitio traditur hic, quoniam de iustitia, & iure titulus est inscriptus ea quidem ratione, quoniam ex iustitiæ fontibus (vt supra vidimus) ciuile ius emanauit. eodemque modo iustitiam Imperator accepit, cuius dicta his addenda sunt, in authent, collat. 5. tit, 20. in principio. Horum autem, alterum non lædere; & suum cuique tribuere; cum vt supra vidimus ad iustitiam vtrumque spectet; eorumq; in vno, quæ vetamur, in altero quæ iubemur alteri facere, iureconſ. ipse conclusit, eius proprium munus cur hoc solum esse dicatur, ius suum vnicuique tribuere: mirantur aliqui, & videtur iureconſ. eam hic definisse, quam Aristoteles specialem iustitiam esse vult. At vero scire debemus, ius id non solum esse dictum, ex quo ad hanc virtutem præcepta feruntur, sed eo quod vnumquemque contingit, id ius cuiusque dicitur. sic ius vnicuique suum tribuere,

buere, hoc quidẽ est, vnicuiq; tribuere, ꝙ ipsi iure contingit. in eoq; ea omnia concludũtur, quæ in ipsius iustitię partibus adscripta vidimus: & in his id quoq; positũ, vt auxiliũ vnicuiq; tribuamus eo digno. Atq; huius virtutis in eã diffinitionẽ à Cicerone in secũdo rhetoricorũ traditã ita recidit, quã hic iurisconſ. affert; nam quæ voluntas habitum induit, ea constans, & perpetua eiusdem Ciceronis more dicitur, apud quem in illo secundo rhetoricorum libro virtus esse definitur, habitus naturæ modo, rationi consentaneus. in primo vero de legibus ratio vitæ constans, & perpetua virtus esse dicitur, & in tertio paradoxo, quod vna virtus est consentiens cum ratione omni, & perpetua constantia, & in primo officiorum in Catonem, incredibilem illi natura tributam grauitatem perpetua constantiã roborasse. His autem iustitiæ diffinitionibus Aristotelem refragari putant aliqui, nam is in sexto topicorum libro primi capitis in extremo loco scribit, cuiusquę rei diffinitionis exordium ab eo genere capere nos oportere, cui proximior est; nec iustitiam rectè eum definire, qui eam esse dicit, æqualitatis habitum effectiuum, vel distributiuum æqui. eò ꝙ virtutis genus est habitus, iustitiæ vero proximum genus virtus est. Sed certè quotiens remotiori ea adiunguntur, ex quibus genus effici-

efficitur ipsi rei, quæ diffinitur, proximum: quominus ab illo diffinitionem exordiamur ipse Aristoteles non prohibet, quamuis ergo virtuti, cui pars iustitia, genus sit habitus: tamen quia ex his, quæ adiunguntur, ipsum cõtrahitur, vt infra non autem vltra virtutem sit: iustitiæ diffinitiones istæ rectè se habent. Deinde voluntatem in hac, quam iurisconsultus tradit, eodẽ modo, ac Cicero in quarto Thuscul. accipere possumus, Voluntas est (is ait) quæ quid cum ratione desiderat, quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis inuenitur, & hoc modo accepta constans, & perpetua uoluntas virtus est: iustitiæ vero proprium, quod adiungitur, ius suum vnicuique tribuendi. In aliquibus codicibus Vlpiani verba sic leguntur, iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuẽdi, eaque litera posterioribus magis arridet. Post hæc cuius sint iuris, quæ præcepta vidimus, clarius exponendum est: ius namq; vel Paulo iurisconsultus teste pluribus modis dictum est, meaque sententia Vlpianus hic de naturali iure loquitur, quod semper bonum, & æquum esse Paulus infra dicit in cap. 11. eiusdemque iuris ista sunt, alterum non lædere: suum cuique tribuere quo quisque iubetur alteri facere, ꝙ fieri sibi vult: & prohibetur

betur

betur, quod sibi fieri nolit, alteri facere, idque naturale ius esse Gratianus verissimè dicit, nam ea germana societatis humanæ regula est, quo vero illa colligatur, naturale ius esse: iam supra visum fuit. in eoque præcepto velle & nolle, quæ sibi quisque dicatur, secundum ea quidam intelligunt, quæ Cicero in quinto paradoxo super eo scribit, quis viuit, vt vult? Huius autem præcepti vis quo lucidius intelligatur, eius meminisse debemus, quod Aristoteles quinti libri ad Nicomacum in primo capite scribit, iustitiæ quidem vsum exercitationemque difficilem esse; idque Cicero in primo officiorum his verbis exponit, est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil à se alienum putet, sed tamen quia magis ea percipimus, atque sentimus, quæ nobis ipsis, aut prospera, aut aduersa eueniunt: quam illa, quæ cæteris, quæ quasi longo interuallo interiecto videmus, aliter de illis, ac de nobis iudicamus. huic difficultati, quam rerum alienarum cura habet, hoc ipsum præceptum opponitur, in quo de illis rectè sentiendi regula traditur. Lactantius in libro nephitomon, sed radix (inquit) iustitiæ, & omne fundamentum æquitatis est illud, vt ne facias vlli, qnod pati nolis: sed alterius animum de tuo metieris: si acerbum est iniuriam ferre: & qui eam fecerit

cerit, videtur iniuſtus. Transfer in alterius perſonam, quod in te ſentis: & in tuam quod de altero iudicas: & intelliges tam te iniuſtè facere: ſi alteri noceas: quam alterum, ſi tibi.

§. Iuris prudētia eſt diuinarumatq; humanarū rerum notitia: iuſti atque iniuſti ſcientia.



ATVRAE rationem legem eſſe diuinam, & humanam Cicero in libro tertio offitiorum dicēs, eius duas eſſe partes intellexit: vnam quæ ad Deum: alterã, quæ ad homines pertinet. ex ea quod venit, eius iuris prudentia hic ab Vlpiano deſcripta videtur. Religio Plutarcho auctore in Pauli Emilij vita, diuinarum rerum ſcientia philoſophis, & maioribus appellatur. Naturalis æquitatis, quæ pars ad homines pertinet, eam .ſ. humanitatem appellari, Lactantius declarat diui-

narum institution.in lib.3. cap.23. lib.6. cap. 10. Naturæ ius ergo diuinum illud, quo erga Deum religio continetur: & in eo quæ sunt, res diuinas: quo vero hominum inter ipsos inuicem charitas ordinatur, humanum, & in eo, quæ sunt, res humanas appellant. sic & alibi iurisconsf. quas diuinas, vel diuini iuris esse proponunt, eas res sacras, atque religiosas: humanas autem, vel humani iuris, quæ hominum sunt esse declarant de rer. diuis. in cap. 1. de interdict. in cap. 1. & cap. 2. commun. prædior. &c. in cap. 4. Alio modo naturæ ius cuius Deum auctorem ethnici quoque laudant (vt supra vidimus) id omne diuinum: quod vero in scriptis legibus, vel moribus consistit humanum Augustinus, & Isidorus appellāt, quorum Gratianus verba refert in distinct. 1. cap. 1. & in distinct. 8. cap. 2. & Imper. Cod. sub tit. de veter. iure enucl. cap. 2. §. sed quia diuinæ quidem res &c. Circa iusti, & iniusti sciētiam in ipsa iuris prudentia positam, quia supra vidimus naturæ præceptum esse, quam Dei ordinationem Apostolus appellat, vt Regibus & Principibus pareamus, quorum tenemur Imperio: & in eo præcepto illud esse, vt eorū legibus obtemperemus: eoque iure, quod ex his proficiscitur, quibus prodest, eis vti licere Augustinus in his locis apertè sentijt, quæ Gratianus refert in distinct. 8. cap. 2. & cap. 3. id quo-

id quomodo intelligendum sit, hic opportunè videndum est. Alijsque in eo id esse visum est, vt harum legum voluntatem vltrò conseruare debeamus: ex quo illud aliqui defendunt, quod quæ ex his descẽdit obligatio, ea secum naturalem trahit. Deinde ex quibus legibus iudex quem iustè condendat: eisdem cur priuatus, cui prosunt, vti sine peccato non possit, nulla eis probabilis ratio videtur esse: Ad hæc multum aliqui interesse putant, an institutis legibus factum aliquod prohibitum sit prius natura permissum: an vero tantum ex facto ius denegetur: nã ea ratione, quoniam his obtemperare naturæ lege iubeamus, quo his facto prohibemur eo contra naturalem legem atque Dei ordinationem nos venire dicunt. Ad hæc quibus ex causis naturalis oritur obligatio, quominus ea nobis acquiratur, impedimento ciuile ius esse, quotiés illis obsistit ab initio plerique volunt, & videtur his omnibus Imperator suffragari, qui leges proferendi licentiam potestatemque à Deo percepisse dicit Cod de veter. iure enuclean. cap. 2. §. sed quia diuinæ quidem res &c. & in authent. collat. 6. tit. 2. in princip. & sub titul. 3. §. qa igitur &c. & rursus in collat. 8. tit. 11. in princip. in vers. sicut enim &c. quin ipsas leges diuinitus per ora principium promulgari Summus Põtifex inquit, cuius Gratianus ver-

ba refert 16.q.3. §.vlt. At qui eorum, qui institutis, scriptisque legibus naturalia iura verti non posse volunt, eorum hanc sententiam esse iam supra vidimus: iustitiam non institutis populorum scriptisque legibus, quæ vtilitati seruiunt, sed naturæ preceptis obtéperationem esse: iuraque naturalia propter institutas leges transgredi nefas esse: quamobrem Hecatonem Cicero non audit, quem in libro tertio offitiorum dicentem refert, sapientis esse, nihil conrra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris neq; enim solum nobis diuites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximèque reipublicæ; singulorum enim facultates, & copiæ diuitiæ sunt ciuitatis. & huic Lactantius pariter aduersatur Diuinarum institution. in libro sexto sic in capite nono scribens, Cur enim per omnes populos diuersa, & varia iura sunt condita, nisi quod vnaquæque gens id sibi sanxit, quod putauit suis rebus vtile? Quantum autem à iustitia recedat vtilitas, Populus ipse Romanus docet, qui per feciales bella indicendo, & legitimè iniurias faciendo, semperque aliena cupiendo, atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparauit. Verū hi se iustos putant, si contra leges suas nihil faciant, quod etiam timori ascribi potest, si præsentium pœnarum metu, sceleribus abstineant

neant, sed concedamus sanè, vt id natura vel (vt ait philosophus) sua sponte faciant, q̃ legibus facere coguntur: num idcirco iusti erũt qui parẽt institutis hominum, qui aut ipsi errare, aut iniusti esse potuerunt, sicut illi duodecim tabularum cõditores, qui publicæ vtilitati pro conditione temporum seruierunt. Aliud est igitur ciuile ius, quod pro moribus vbique variatur. Aliud est vera iustitia, quam vniformem, ac simplicem proposuit omnibus Deus. Eo igitur, quod diximus, naturæ præcepto quorum confirmatur Imperium, eorum quibus legibus naturale ius impedimẽto non est quominus in aliqua parte ab eo recedant: cum non ea potestas tributa sit, vt in qua parte ex his illi contrarium fori ius constituitur eo ipsum naturale ius immutetur: in eoque haudquaquam id esse definit, quod ex illo ius ciuile detrahit: ex hoc id nempè fit, vt eorum alterum apud Deum; alterum vero fori ius esse dicamus. & hanc Iustiniani sententiam fuisse defendimus institution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. sed naturalia quidem iura &c. Quippè cum insanabilis sit hominum deprauata consuetudo, cum æquitate naturali plerunque reipublicæ contendit vtilitas, cui leges prospicere debent: ex eo vero quæ ratio proficiscitur, ea legumlatores, atque iudices excusat, qui reipublicæ seruiunt: non item eos

buere, hoc quidē est, vnicuiq; tribuere, quod ipsū iure contingit. in eoq; ea omnia concludūtur, quæ in ipsius iustitię partibus adscripta vidimus: & in his id quoq; positū, vt auxiliū vnicuiq; tribuamus eo digno. Atq; huius virtutis in eā diffinitionē à Cicerone in secūdo rhetoricorū traditā ita recidit, quā hic iurisconſ. affert; nam quæ voluntas habitum induit, ea constans, & perpetua eiusdem Ciceronis more dicitur, apud quem in illo secundo rhetoricorum libro virtus esse definitur, habitus naturæ modo, rationi consentaneus. in primo vero de legibus ratio vitæ constans, & perpetua virtus esse dicitur, & in tertio paradoxo, quod vna virtus est consentiens cum ratione omni, & perpetua constantia, & in primo officiorum in Catonem, incredibilem illi natura tributam grauitatem perpetua constantia roborasse. His autem iustitiæ diffinitionibus Aristotelem refragari putant aliqui, nam is in sexto topicorum libro primi capitis in extremo loco scribit, cuiusque rei diffinitionis exordium ab eo genere capere nos oportere, cui proximior est; nec iustitiam rectè eum definire, qui eam esse dicit, æqualitatis habitum effectiuum, vel distributiuum æqui. eò quod virttutis genus est habitus, iustitiæ vero proximum genus virtus est. Sed certè quotiens remotiori ea adiunguntur, ex quibus genus
effici-

efficitur ipsi rei, quæ diffinitur, proximum: quominus ab illo diffinitionem exordiamur ipse Aristoteles non prohibet, quamuis ergo virtuti, cui pars iustitia, genus sit habitus: tamen quia ex his, quæ adiunguntur, ipsum cōtrahitur, vt infra non autem vltra virtutem sit: iustitiæ diffinitiones istæ rectè se habent. Deinde voluntatem in hac, quam iurisconf. tradit, eodē modo, ac Cicero in quarto Thuscul. accipere possumus, Voluntas est (is ait) quæ quid cum ratione desiderat, quæ autem aduersus rationem incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis inuenitur, & hoc modo accepta constans, & perpetua uoluntas virtus est: iustitiæ vero proprium, quod adiungitur, ius suum vnicuique tribuendi. In aliquibus codicibus Vlpiani verba sic leguntur, iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuēdi, eaque litera posterioribus magis arridet. Post hæc cuius sint iuris, quæ præcepta vidimus, clarius exponendum est: ius namq; vel Paulo iurisconf. teste pluribus modis dictum est, meaque sententia Vlpianus hic de naturali iure loquitur, quod semper bonum, & æquum esse Paulus infra dicit in cap. 11. eiusdemque iuris ista sunt, alterum non lædere: suum cuique tribuere quo quisque iubetur alteri facere, ꝙ fieri sibi vult: & prohibetur

betur, quod sibi fieri nolit, alteri facere, idque naturale ius esse Gratianus verissimè dicit, nam ea germana societatis humanæ regula est, quo vero illa colligatur, naturale ius esse: iam supra visum fuit. in eoque præcepto velle & nolle, quæ sibi quisque dicatur, secundum ea quidam intelligunt, quæ Cicero in quinto paradoxo super eo scribit, quis viuit, vt vult? Huius autem præcepti vis quo lucidius intelligatur, eius meminisse debemus, quod Aristoteles quinti libri ad Nicomacum in primo capite scribit, iustitiæ quidem vsum exercitationemque difficilem esse; idque Cicero in primo officiorum his verbis exponit, est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes humani nihil à se alienum putet, sed tamen quia magis ea percipimus, atque sentimus, quæ nobis ipsis, aut prospera, aut aduersa eueniunt: quam illa, quæ cæteris, quæ quasi longo interuallo interiecto videmus, aliter de illis, ac de nobis iudicamus. huic difficultati, quam rerum alienarum cura habet, hoc ipsum præceptum opponitur, in quo de illis rectè sentiendi regula traditur. Lactantius in libro nephitomon, sed radix (inquit) iustitiæ, & omne fundamenrum æquitatis est illud, vt ne facias vlli, qnod pati nolis: sed alterius animum de tuo metieris: si acerbum est iniuriam ferre: & qui eam fe-
ceric

cerit, videtur iniuſtus. Transfer in a lterius perſonam, quod in te ſentis: & in tuam quod de altero iudicas: & intelliges tam te iniuſtè facere: ſi alteri noceas: quam alterum, ſi tibi.

§. Iuris prudẽtia eſt diuinarumatq; humanarũ rerum notitia: iuſti atque iniuſti ſcientia.



ATVRAE rationem legem eſſe diuinam, & humanam Cicero in libro tertio offitiorum dicẽs, eius duas eſſe partes intellexit: vnam quæ ad Deum: alterã, quæ ad homines pertinet. ex ea quòd venit, eius iuris prudentia hic ab Vlpiano deſcripta videtur. Religio Plutarcho auctore in Pauli Emilij vita, diuinarum rerum ſcientia philoſophis, & maioribus appellatur. Naturalis æquitatis, quæ pars ad homines pertinet eam .ſ. humanitatem appellari, Lactantius declarat diui-

narum instiutucion.in lib.3. cap.23. lib.6. cap. 10. Naturæ ius ergo diuinum illud, quo erga Deum religio continetur: & in eo quæ sunt, res diuinas: quo vero hominum inter ipsos inuicem charitas ordinatur, humanum, & in eo, quæ sunt, res humanas appellant. sic & alibi iurisconsf. quas diuinas, vel diuini iuris esse proponunt, eas res sacras, atque religiosas: humanas autem, vel humani iuris, quæ hominum sunt esse declarant de rer. diuis. in cap. 1. de interdict. in cap. 1. & cap. 2. commun. prædior. &c. in cap. 4. Alio modo naturæ ius cuius Deum auctorem ethnici quoque laudant (vt supra vidimus) id omne diuinum: quod vero in scriptis legibus, vel moribus consistit humanum Augustinus, & Isidorus appellãt, quorum Gratianus verba refert in distinc. 1. cap. 1. & in distinc. 8. cap. 2. & Imper. Cod. sub tit. de veter. iure enucl. cap. 2. §. sed quia diuinæ quidem res &c. Circa iusti, & iniusti sciẽtiam in ipsa iuris prudentia positam, quia supra vidimus naturæ præceptum esse, quam Dei ordinationem Apostolus appellat, vt Regibus & Principibus pareamus, quorum tenemur Imperio: & in eo præcepto illud esse, vt eorũ legibus obtemperemus: eoque iure, quod ex his proficiscitur, quibus prodest, eis vti licere Augustinus in his locis apertè sentijt, quæ Gratianus refert in distinc. 8. cap. 2. & cap. 3.

id quo-

id quomodo intelligendum sit, hic opportunè videndum est. Alijsque in eo id esse visum est, vt harum legum voluntatem vltrò conseruare debeamus: ex quo illud aliqui defendunt, quod quæ ex his descēdit obligatio, ea secum naturalem trahit. Deinde ex quibus legibus iudex quem iustè condendat: eisdem cur priuatus, cui prosunt, vti sine peccato non possit, nulla eis probabilis ratio videtur esse: Ad hæc multum aliqui interesse putant, an institutis legibus factum aliquod prohibitum sit prius natura permissum: an vero tantum ex facto ius denegetur: nā ea ratione, quoniam his obtemperare naturæ lege iubeamus, quo his facto prohibemur eo contra naturalem legem atque Dei ordinationem nos venire dicunt. Ad hæc quibus ex causis naturalis oritur obligatio, quominus ea nobis acquiratur, impedimento ciuile ius esse, quotiēs illis obsistit ab initio plerique volunt, & videtur his omnibus Imperator suffragari, qui leges proferendi licentiam potestatemque à Deo percepisse dicit Cod de veter. iure enuclean. cap. 2. §. sed quia diuinæ quidem res &c. & in authent. collat. 6. tit. 2. in princip. & sub titul. 3. §. q.a igitur &c. & rursus in collat. 8. tit. 11. in princip. in vers. sicut enim &c. quin ipsas leges diuinitus per ora principium promulgari Summus Pōtifex inquit, cuius Gratianus ver-

neant, ſed concedamus ſanè, vt id natura vel (vt ait philoſophus) ſua ſpontè faciant, ꝙ legibus facere coguntur: num idcirco iuſti erũt qui parẽt inſtitutis hominum, qui aut ipſi errare, aut iniuſti eſſe potuerunt, ſicut illi duodecim tabularum cõditores, qui publicæ vtilitati pro conditione temporum ſeruierunt. Aliud eſt igitur ciuile ius, quod pro moribus vbique variatur. Aliud eſt vera iuſtitia, quam vniformem, ac ſimplicem propoſuit omnibus Deus. Eo igitur, quod diximus, naturæ præcepto quorum confirmatur Imperium, eorum quibus legibus naturale ius impedimẽto non eſt quominus in aliqua parte ab eo recedant: cum non ea poteſtas tributa ſit, vt in qua parte ex his illi contrarium fori ius conſtituitur eo ipſum naturale ius immutetur: in eoque haudquaquam id eſſe definit, quod ex illo ius ciuile detrahit: ex hoc id nempè fit, vt eorum alterum apud Deum; alterum vero fori ius eſſe dicamus. & hanc Iuſtiniani ſententiam fuiſſe defendimus inſtitution. de iure natur. gent. & ciuil. in §. ſed naturalia quidem iura &c. Quippè cum inſanabilis ſit hominum deprauata conſuetudo, cum æquitate naturali plerunque reipublicæ contendit vtilitas, cui leges proſpicere debent: ex eo vero quæ ratio proficiſcitur, ea legũmlatores, atque iudices excuſat, qui reipublicæ ſeruiunt: non item eos

enim hæc si computarentur, ex his fieret, quominus idem vbiq; gentium naturale ius esse videretur. De quibus legibus Augustinus in loco supra citato loquitur, à iure eas non abhorrere, quod naturale Gratianus vocat in principio, ex his apparet eiusdem Augustini, quæ Gratianus refert 23 q. 7. in cap. 1. in his tamen nihil aliud dicit, nisi quod eis sine peccato vti possint ij, quibus prosunt: earumque executionem pati eos oporteat, quibus nocent, & hoc vltimum generaliter in omnibus recipiendum nos esse dicimus, ex quibus fori quidem ius constituitur. Quippè quod obsequium ciuilibus præceptis præstandum sit, cum non ex alio, quam ex eo iure sit æstimandum, cuius præceptum est, quo iuris conditorum confirmatur Imperium, idq; iuris naturalis sit; verissimè id dictum est, quod nisi naturale ius, cuius Deus auctor est, is violet, qui ciuile transgreditur: apud Deum peccato is non alligatur. quæ vero ciuilia præcepta naturale ius ad se ipsa minimè vertunt, ex eo de his in illo naturæ præcepto, quo legum latorum firmatur Imperium, hoc tantum esse côcludimus. vt harum legum executioni, cùm per eum fit, cui ea iure commissa est: non obsistere debeant ipsi, quibus illæ nocent, ac Isidorus dicens transire per agrum alienum fas est, ius non est; hoc quidem sentijt, fas, quod

legibus excicitur, vt ei adulterum occidendi ius tribuatur interdum, qui domi suæ cum filia, quam habet in potestate, vel cum vxore in ipsis rebus veneris deprehenderit, quoniam naturali iure, quod scriptis legibus corrumpi non potest, non idem admittitur: id nefas est, quod scriptis legibus ius esse, iurisconf. dicunt. ex quo intelligimus, quod supra sæpè dictum fuit, quibus legibus naturale ius aduersum commutari non potest, his illud impedimento non esse, quominus fori ius faciãt. sic enim vt diximus, iurisconf. loquuntur ad leg. Iul. de adult. in cap. 20. & in pluribus sequentib. & Imperator, quod his legibus ius fuit, legitimè factum esse dicit C. ad candem leg. Iul. cap. 4. Pontificum vero iure id non esse receptum Gratianus ostendit 33. q. 2. in c. interfectores, & in pluribus sequentib. Dein ex hoc alterum non lædere, quod sequitur, suum cuique tribuere iuris esse, sic intelligi, nisi alteri noceatur Cicero demonstrat offitiorum in libro primo: eiusque rursus in tertio hæc affert exempla, si gladium quis apud te sanæ mentis deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum est, non reddere offitium, quod si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ. reddes ne depositum? non credo, facies enim contra rempublicam, quæ debet esse chara. hæc ibi Cicero. Cum er-

go iuris id non semper sit, alteri suum reddere, meritò non hoc simpliciter, sed ius suum cuique tribuere, iustitiæ munus esse dicitur. ius namque suum cuique tribuere, vt supra diximus, id quidem est, iure illud vnicuiq; tribuere. Ad hæc quod æquitati naturali maximè congruum esse iurisconf. dicit de pact. in cap. 1. & iterum de constitut. pecun. in cap. 1. illud item varijs ex causis commutari idem Cicero. in his locis ostendit qui ex his in postremo subiungit, sic multa, quæ natura honesta videntur esse, temporibus fiunt non honesta. At vero ex his naturæ præceptis, quibus ex causis naturæ ius per se ipsum nihil immutat: nec instituto dissui, ac immutari posse, cũ generaliter supra dixerimus, in primis id nobis persuasum esse debet, quod per quas leges quarum ciuilis est ratio, contra naturalem æquitatem rei alicuius dominium transfertur ad alium; legitimum, quod ad rei vindicationem proficit, non etiam naturale priori domino ablatum intelligitur, vt is iure poli, aduersarius autem iure fori in ea re potior sit. Cum vero Summus Põtifex vsucapionem non omnem inhibuerit; plerique in eam sententiam adducuntur, vt putent, rem per illam acquisitam, quam permisisse videtur, sine peccato possessorem ipsum retinere posse. At quia vsucapio à iure sotietatis abhorret, quam in-

ter

ter nos natura constituit, quam vero habet, ciuilis est ratio; cum illis ego sentio, qui hoc modo acquisitam rem cognito vero domino ei non restituentem in peccato versari verius autumant: quippè cuius vsucapta res est, penes eum naturale eius rei dominium remansisse, quidam ex Imper. verbis colligunt, qui eum eius rei dominũ appellat in l. si quis emptionis C. sub tit. de præscript. 30. vel 40. annor. Hæc amplius ex his apparent, quæ Triphoninus circa bonamfidem tractat, quæ in aliquibus contractibus requiritur: is enim in ea quæstione vtrum is, penes quem latro spolia deposuit, quæ eo ignorante mihi abstulit, illi an mihi restituere debeat? ita concludit, & hanc probo esse iustitiam, quæ suum cuique ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius personæ iustiore petitione. In ea vero vtrum ea, quam bonafides desiderat æquitas ad merum iusgentium, vel etiam cum ciuilibus, aut prætorijs præceptis æstimetur? non illud respondit, quod ea ciuilia præcepta ius naturale ad se ipsa trahant. in eo deinde, penes quem is pecuniam deposuit, cuius deportationis sententia bona omnia publicata postea sunt, quia respondit, eum quod attinet ad ius naturale, vel gentium ei, qui deposuit illam restituere, quod autem attinet ad ciuile ius, & legum ordinem, in publicum deferre debere. Claré

sentijt,

ſentijt, eius depoſitũ natura manere, cui reddi ius ciuile prohibet: Cui conſequens eſt dicere, quod tametſi ab eo legitimum eius pecuniæ dominium abierit, ipſi tamen ſi reſtituatur, naturali iure eam ſibi retinere poſsit, nec in publicum referre debeat. Ex quo vero eius qui male meritus eſt, bonorum publicatio naturali iure prohibita non eſt, ſi is, penes quem ille prius aliqua depoſuerit, ea poſtea in publicum deferre velit, naturali iure prohibitus non intelligitur, itaque priuſquam in publicum ea deferat, naturali iure priori domino debitor manet: poſtea vero quam in publicum ea detulerit, etiam priori domino debitor eſſe deſinit, nam quòd naturali iure non repugnante comportauerit, iterum priori dominio ſoluere idem ipſum naturale ius minimè patitur. ſic ab illo, vt ne ei naturaliter teneatur, debitorem ipſum non ab initio legum ordo, ſed ipſo naturali iure non repugnante rei poſtea facta reſtitutio omnino liberat. eaque Triphoninus tractat ſub tit. depoſit. in c. 31. His deinceps addendum eſt, ex quibus cauſis præceptum hoc de reſtituendo depoſitum, atque de ſtando conuentis, & promiſſis, eorum ab initio, vel poſtea iuris naturalis prorſum eſſe deſinit, ex eiſdem fieri, quominus ex his naturales exiſtant obligationes: nam per naturam, quam illarum effectricem eſſe ſupra

vidimus

vidimus: naturale ius intelligi, quod semper æquum,& bonum est Papinianus ostendit, qui æquitatis solo vinculo eas substineri dicit de solutionib. in cap. 95. §. naturalis &c. ex quibus causis ergo depositũ reddere: aut manere promissis naturali iure necesse non est; ex his id eius iuris esse definit, quo naturales nituntur obligationes. Cumque iurisconf. dicat, is natura debet, quem iure gentiũ dare oportet: quod reddere depositum natura iniquum esset: id iuregentium non consistere Triphoninus declarat in illo sub tit. deposit. cap. 31. in vers. si tamen &c. Deinde siue malefitium natura prohibitum, vel vt fieret illud, quid promissum sit: siue dolo; vel errore inductus, aut metu coactus fuerit is, qui promisit, quoniam hæc rata sotietatis iure non sunt, quam inter homines natura cõstituit: his stare promissis eo iure non oportet, ex quo naturales æstimantur obligationes, & quidem iuregentium non esse debitum, quod per errorem promissum fuerit, iurisconf. exprimit de condict. indebit. in cap. 47. ea pariter naturali æquitate liberari, quo dolo quis inductus promiserit iurisconf. dicit de doli mal. & met. excep. in c. 1. & generaliter naturales obligationes contra quam naturalis poscit æquitas non contrahi declarat Caius de pecul. in cap. 12. §. 1. Ad hæc quibus causis natura semel contractas

tractas obligationes eo ipso æquitatis iure tolli cuius vinculo subsistinebantur Papinianus ait in loco citato: id non his edictis assignandum est, quæ prætor de pactis, & iureiurando proposuit, sed his longè antiquior naturalis æquitas illud efficit vnde ex Papiniani verbis id colligitur, quod Paulus infra dicit, ius vno modo id esse dictum, quod semper bonum & æquum est: huiusmodique naturale ius esse. Atq; his Papiniani similia Vlpiani dicta sūt de acceptil. in c. 8. §. vlt. ea vero quo lucidius intelligamus, meminisse debemus, qm̄ seruus personā in iure ciuili non habet, ex eo fieri, ꝙ Imperator in nouatione dicit, quæ interuentu nouę personæ fit instit. sub tit. quib. mod. tol. oblig. in §. præterea in vers. non idem iuris &c. idq; Theophil. declarat ibi seruo tñ quæ fit acceptilatio, eam iuris gentiū esse Vlpian. aiens, eo iure eam ratam esse significat, ꝙ ius naturale vocat de regul. iur. in c. 33. eoq; iure cum rata sit, per eam serui naturalem obligationē tolli, eaq; sublata, quia fideiussori similis est dn̄s qui de peculio actione tenetur in eo idē sentijt, ꝙ in fideiussore pupilli Papinianus inquit, sic per eā acceptilationē, cui ius suffragatur naturale quāuis ciuile refragetur, obligationes istas naturales tolli Vlpian. ibi testis est. At qui eo iure, ꝙ ex legibus descendit à naturali ab errātibus æquitate, obligationes

natu-

naturales minimè contrahi, nam ex his legibus, quæ proficiſcitur ciuilis obligatio, eam ſecum naturalem obligationem trahere nequit, facilè demonſtrare licet: Nam ſicut per quas leges ab obligationibus naturalibus actiones remouentur, earum vinculo ſolui non poſſumus ita quibus ex legibus à natura longè diſiuncta proficiſcitur obligatio, his quæ refragatur æquitas naturalis immutari non poteſt: eaque vnde diſtat, vt vidimus, obligatio naturalis pariter abeſt. Porrò quod ciuile ius obligationibus ab initio impedimentum affert, eò non ipſo iuris naturalis vinculo debitorem ſoluit: ſed tãtum quod ius in ipſis naturalibus obligationibus idem ciuile ius recipit, eo ſolo illas exui, quorum vtrumque ſecundum regulam eſt à iureconſ. traditam de acquir. poſſ. in cap. 46 de regul. iur. in cap. 35. à Summo Pontifice de regul. iur. in cap. 1. ex his clarè percipitur, quæ in ſeruis, & filijsfamilias dicta ſunt; eorum namque peculium (vt ſupra vidimus) eorum patrimonij pars eſſe putatur, quorum iuris ipſi quoque ſunt, quia vero naturali iure id ipſius ſerui, vel filijfamilias proprium patrimonium eſt; nec eis ciuili iure id adimi poteſt, quod ipſis ius naturale tribuit: quia legitimo tantum dominio priuatur, quam rem de peculio ſeruo dominus, aut pater filio eadem obligari volens

accipit

accipit, ea quominus naturaliter obligetur, impedimento ciuile ius vtique non est, quia vero quod ius in obligationibus naturalibus iure ciuili receptum est, id ex his, quæ filijsfamilias, & seruis acquiruntur, eodem ciuili iure illorum parentibus, & dominis adijcitur, quoties ipsi parentes eorum filijs, vel domini seruis naturaliter obligantur, quod ius in alijs obligationibus naturalibus ciuili iure constitutum est, ipsis filijs atque seruis, tunc demũ acquisitum iri cõtingit, cũ sui iuris esse cæperint, prius vero id eis non acquiritur, ex his ea planè intelliguntur, quæ Africanus tractat de condict. indeb. in c. 38. sic in his quoque obligationibus, quæ re contrahuntur ea pariter intelligi, quæ Triphoninus dicit sub tit. de condict. indeb. in cap. 64. & labeo de condicion. & demonstrat. in cap. 40. §. dominus seruo &c. & item in eo, qui à seruo suo mutuam pecuniam accipit, id etiam verum esse, quod generaliter Vlpianus ait de obligation. & action. in cap. 13. ex iureconf. verbis etiam colligitur de pecul. in cap. 7. §. vlt. & in cap. 50. §. vlt. At ita porrò quod attinet ad ipsam naturalem obligationem nihil interesse vtrum contractas res ipsarum ab initio, vel postea nouis ex causis ciuile ius destituat: nulli dubium videri debet. Cumque ex iureconf. supra id pobatrum fuerit, ex quibus cau-

sis an-


sis antea contractis obligationibus ciuile ius contrarium postea fit, ex his naturales obligationes non infringi. hic addendū est, numquam eas tolli, nisi naturalis ab his recedat æquitas ex jureconſ. probari ad Senatuſconſ. Trebell.in cap. 59. Est autem hic eorum exponenda ratio, quæ in exceptionibus rei ab initio cohærentibus dicuntur ſub tit. de condict. indeb.in cap.40.Nempè cur exceptiones,quę in odium creditoris dantur, post ſolutionem eius, quod debetur, minimè proficiant, quod rurſus dicitur ad Senatuſconſ. Macedon. in c.11.§. vlt.rationem hanc eſſe,quod cum non ipſe debitor fauore auxilioque, ſed creditor odio dignus eſt, naturalis non corrumpitur obligatio, eaque ſoluti repetitionem impedit Pompon.exprimit de condict. indeb. cap. 19. Paulus ad Senatuſconſ. Macedon. in cap. 12. diuerſum in quibus exceptionibus ſit ex his, quæ ipſis vti volentium cauſa dantur: Marcellus oſtendit ita ſcribens, definit debitor is eſſe, qui nactus eſt exceptionem iuſtam neque ab æquitate naturali abhorrentem,hoc enim eò dictum accipimus, quòd neque post ſolutionem huiuſmodi prodeſſe deſinit exceptio.habetur id ſub tit. de reg. iur. in cap.67. Huiuſmodi exceptio eſt ex Senatuſconſ. Velleiano prodita, Nam Senatus mulieres vidēs propter infirmitatem conſilij multorum inſidijs,

fidijs, & captionibus obnoxiam facilè circũuenire, vt eas decipiendi materiam malis hominibus auferret, quod naturæ cõsentaneum est: aduersus illas quotiens pro alijs intercesserint, actionem petitioneq. denegauit. Nisi vero mulieres decipiantur, exceptio naturalem æquitatem habere desinit: quòd vero generaliter ea detur, ciuilis ratio efficit; nam si mulierem oporteret quibus insidijs, & astutijs decepta fuerit ostendere, quoniam ea frequẽter probari non possunt: semperque illorum probatio difficilis est: sæpissimè contingeret, eas auxilio ipsis natura debito fraudari, nec illas decipiẽdi materia præriperetur ijs, quibus spes esse posset, fore vt mulieri fraudis probatio deficiat, vel ab illa probanda eius difficultas deterreat. ad hæc sicut interesio mulieri detrimento semper est; illam suspitio comitatur, quod propter sexus imbecillitatẽ ipsa mulier circumuenta fuerit. hisque rationibus in hac exceptione sine alia eorum probatione, quæ naturalis intuetur æquitas, eam inesse ius ciuile fingit. quotiens vero ea verè deficitur, quoniam imperdita naturalis obligatio manet, quãuis iure ciuili ea pro nihilo habeatur, apud Deum, qui hac vtitur exceptione peccat. Atque tandem ex his in pœnis pecuniarijs, quod vulgò dicitur, eum cui ex iustis legibus acquirũtur, sine peccato his vti

posse

posse, id quidem sic intelligendum est, nisi illis naturale ius refragetur. Quòd si eius damno quis ciuili iure mulctetur, quod ei natura debitum est: id nisi debitor soluat in peccato versatur: nam eò ciuili iure, nec illud effici, quominus ea re, qua tradentem mulctat, is naturaliter obligetur, cui contrahendæ obligationis animo traditur, nec eam infringi naturalem obligationem, quæ semel cõtracta fuerit iurisconſ. affirmat ſub tit. quod quiſq; iur. &c. in cap. 3. §. vlt. de condict. indeb. in cap. 19 ad Senatusconſ. Macedon. in cap. 12. De lege, quæ captis à latronibus, qua se redemerint pecunia, ab illorum cognatis eam repetere concedit: illam sine peccato ferri posse, eamque sequi iudices oportere, qui ſentiunt: eorum opinio sic intelligẽda est, quod cum illi æquitas illa refragetur, quã Imperator secutus est Cod. de pœn. in cap. 22. & in authent. collat. 9. tit. 9. in §. quoniam vero &c. eamque naturalem æquitatem eique huiusmodi leges cõtrarias esse Imperator exprimit Cod. in lib. 11. sub tit. vt null. ex vican. pro alien. vican. debit. teneat. cap. 1. hac lege priuatus vti sine peccato non potest. De furti pœnis ei, cui factum fuerit, ciuili iure debitis, quod eas natura permittat, cui consequens est dicere, sine peccato eas exigi posse iurisconſ. ostendit Digestor. in lib. 47. sub titul. 4. cap. 1. §. 1. na-

tura tamen illas non esse debitas, cui consequens, dicere eas non vltrò pendere sed iudici illas exequenti parere eum oportere, qui debet: iurisconſ. alibi declarat: Nam de peculio serui, ex quo naturalia debita posse deduci Caius dicit de pecul. in cap. 12. §. 1. quod seruus domino furto subtraxerit, id solum non etiam cum furti pœnis deduci posse Vlpianus voluit sub eo tit. in cap. 10. §. siue autem &c. eandemque opinionem in eo pariter sequendam esse, qui per iudicem condendatus fuerit ex his Triphonini probatur, quæ supra nos exposuimus. id denique quòd nec illa quidẽ ciuilis obligatio, cui naturalis nõ repugnat æquitas, naturalẽ secum conducat obligationẽ ex his præterea colligi videtur, quæ Modestinus notat sub tit. de gradib. & affin.
&c. in c. 4. in §. cognationis
substantia in verſ.
ciuilis autem
&c.



xi. Pau-

xi. Paulus lib. 14. ad Sabinum.

Ius pluribus modis dicitur. vno modo cum id quod ſemper bonum, ac æquum eſt, ius dicitur, vt eſt ius naturale. Altero modo, quod omnibus, aut pluribus in quaque Ciuitate vtile eſt: vt eſt ius ciuile. Nec minus ius rectè dicitur in Ciuitate noſtra ius honorarium.



VS cum dicitur alia eius propria appellatione non adiecta, alias naturale, alias ciuile ius intelligi, quod hic iureconſ. exponere voluit, ex compluribus Ciceronis, & iuriſcóſ. ſupra enarratis locis ſatis apparet. Horum eandem diſtinctionem M. Cicero (vt ſupra diximus) in libro tertio offitiorum tradidit, quam Vlpianus, cuius dicta ſupra vidimus, & Paulus hic ſecuti ſunt, & item Lactantius, cuius ex verbis Pauli dicta hæc dilucidantur, diuinarum inſtitutionum in libro ſexto capite 9. Porrò ex his cum

supra demonstratum fuerit, à iure naturali, quod immutare non potest, recedere ciuile ius, frequēs esse. hic addendum est quod ęquitatis naturalis simul atque ciuilis fundamentis, quæ deuiæ sunt, eas nec leges appellare fas est, nec ex his quod prouenit, ciuile ius, sed ciuilis iniuria dicetur. Veluti vt M. Cicero scribit in secundo officiorum, qui se populares volunt, ob eamq; causam, aut agrariam rem tentant, vt possessores pellantur suis sedibus: aut pecunias creditas debitoribus condonādas putant; labefactant fundamenta reipublicæ: concordiam primum tollunt, quæ esse non potest, cum alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniæ. Deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, si habere suum cuiq; non licet: id enim est proprium ciuitatis, atq; vrbis, vt sit libera, & non sollicita suæ rei cuiusque custodia. per æquitatem ibi Cicero eā intelligit æquabilitatem, in qua iuris eum fundamenta ponere supra vidimus in principio. quin legum latores æquitatis oportere fautores esse Imperator inquit Cod. de pact. conuent. tam super doc. &c. in cap. 8. eam quæ migrant, non rectè leges appellari Imper. Leo ait in exordio const. 29. æquitatemque legis sanitatem esse rursus idem in exordio ponit suæ const. 36. Ac ex his, quæ dicta fuerunt, de vsuris iampridem excitatā quæstio dirimitur. in qua Ci-

ceronis quanti æſtimanda ſit auctoritas ex Lactãtio notant aliqui diuinarum inſtitutionum in libro primo cap.15. ſic de illo dicente Nam de legibus,quo in opere Platonem ſecutus eſt, leges voluit ponere,quibus putaret vſuram eſſe iuſtam: & ſapientem ciuitatẽ, quæ haberet. Iuſtinianum ſuis legibus illas permittentem eo nomine hæreſeos pleriq; damnant: & ab eo crimine qui eum liberare voluerunt, quia non ſolum eius leges excuſare, verũ etiã his permiſſas vſuras exigi ſine peccato poſſe defendere laborauerunt, Clementina ſententia nomen ſubierunt, à quo illum immunem facere conati ſunt. Has leges priuſquam Summus Pontifex inhibuiſſet, ſine peccato Principes ferre potuiſſe,non malè dixiſſent;Nam quia naturali iuri,quo vſuris interdictum eſſe verius eſt;per omnia ſeruire ciuile ius non oportet:hæ de vſuris leges incommodis mederi voluerunt, tum ipſorum creditorum, quibus à debitoribus poſtea mora fit: tum etiam eorum,quibus dum ij,ad quos cõfugiunt, pecuniam ſine vſuris mutuare detrectant; his interdictum eſſe nocere ſolet. Aliqui namque ſuis commodis inhiantes ſine his mutuam dare pecuniam rem inutilem eſſe ducunt. Alij vero quoniam ex mora, quæ ipſis poſtea fieret à debitoribus, quod damnũ prouenerit,aut lucrum aberit, iudici probare ne-

cessum erit, potius benefacere desinunt, quam periclitari volunt, qui vero benefacere malūt ijs ex mora debitorum, quod damnum prouenerit, aut lucrum abest, adprobare aliquando impossibile, frequenter difficillimū erit. his autem rationibus, quod ius scriptis legibus cōstitutum fuit, eo cum naturale dissolui minimè potuisset, ne ij quidem, quibus à debitoribus mora facta esset, vsuras exigere sine peccato potuerunt eo maiores damno quod obuenisset, lucro ve, quod abesset, & hoc modo de vsuris scriptas leges excusantem Leonem Imperatorem postea reperi in sua const. 83. Ac ex his veterum Romanorum legibus, quas Iustinianus ipse selegit, quæ à natura aberrātes sunt, earum quibusdam carere non possumus: quibus vero carere possumus in Christiana republica, num repudiatum iri oporteat, Ecclesiæ iuditium sit, cui hęc omnia submitto. Antiqui Romani ad opes ciuium conseruandas augendasq; leges accommodabant, easq; reipublicæ facultates, & copias esse dicebant: His autem omnibus, quibus vti sine peccato nō possumus, generaliter derogatum iri oportere Summus Pontifex inquit de præscriptionib. in cap. vlt. Quippè quod dictum est, naturale ius, in qua parte legibus, vel moribus immutari non potest, illis impedimento nōn esse quominus ex his forense ius illi contrarium

fiat.

fiat.in his legibus,vel moribus intelligendu est,quib.obsequi sine peccato ij possũt,quibus ille nocent: quibus aũt obtẽperare sine peccato nõ possunt ij,qui his cõpellũtur,in his Augustin.loquitur in hisce locis, quæ Gratianus reponit in distint.9.c.1.& in 11.distint. c.qui resistit, & sequent. & in his etiam, cæteri loquuntur, quorum dicta Gratianus refert in distint.10.cap.1.& in alijs compluribus: & in his eiusdem Gratiani dicta accipienda sunt in distin.8. in §.dignitate vero &c.& in calce distint. 9. Porrò quòd naturale ius semper æquum,& bonum esse idcirco dicatur, supra iam sæpius declarauimus, quoniam ex eo, quæ præcepta sumuntur, in quibus temporibus à bono,& æquo alienantur,in his eiusdem desinunt esse iuris: ea recta, & immutabilis naturæ ratio demonstrat, eadem vero quod suapte vi per se facit, id ius naturale dicitur, ex quo quia præceptorum commutatio cognoscitur,ipsum à bono, & æquo alienum esse nullo tempore contingit.At vero,quæ de scripto iure propter vtilitatem publicam detrahi debent, ea demi per eos oportere, qui iura constituere possunt,ex his videri potest, quæ Cicero in primo rhetoricor. libro circa eam causam scribit, quam apud Græcos peruagatam fuisse refert: quòd Epaminondas Thebanorum Imperator ei, qui sibi ex lege Prætor

 succes-

ſucceſſerat, exercitum non tradidit, & cum paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet Lacedemonios funditus vicit. quodam loco, ſic ipſe Cicero dicit, ſi iudices id, quod Epaminondas ait, legis ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem, & addat exceptionem hanc extra quã ſi quis reipublicæ cauſa exercitum non tradiderit, patiemini? non opinor. quòd ſi voſmet ipſi quod à veſtra religione, & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſa hanc eandem exceptionem iniuſſu populi ad legem adſcribi iubeatis: populus Thebanus patietur ne id fieri? profectò non patietur. Quòd ergo adſcribi ad legem nefas eſt id ſequi quaſi adſcriptum ſit, rectum vobis videtur? Noui veſtram intelligentiam: non poteſt ita videri iudices. Quòd ſi literis corrigi, neq; ab illo, neq; à vobis ſcriptoris voluntas poteſt, videte nè multò indignius ſit, id re & iuditio veſtro mutari, quod ne verbo quidem commutari poteſt. Alibi vero pro ipſo Epaminonda ita ſcribit, omnes leges iudices ad commodum reipub. referri oportet, & eas ex vtilitate communi non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari. Ea enim virtute, & ſapientia maiores noſtri fuerunt, vt in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem, atque vtilitatem reipublicæ proponerent. Neque enim ipſi quod obeſſet ſcribere volebant: & ſi ſcripſiſ-

ſcripſiſſent, cum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum cauſa ſaluas eſſe vult, ſed Reipub. quòd ex legibus omnes reſpublicas optimè putant adminiſtrari. Quamobrem igitur leges ſeruari oportet, ad eam cauſam ſcripta omnia interpretari conuenit: hoc eſt quoniam Reipub. ſeruimus, ex reipublicæ commodo, atq; vtilitate leges interpretemur. Nam vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectat, quoniã eius cauſa eſt inſtituta: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reipublicæ conducat proficiſci, quoniam eius cauſa ſunt comparatæ. Ergò in hoc quoque iuditio deſiniſſe literas legis perſcrutari, & legem, vt æquum eſt, ex vtilitate reipublicæ conſiderare, quod hic fecit: quid enim magis vtile Thebanis fuit, quàm Lacedæmonios opprimi? quid magis Epaminondam Thebanorum Imperatorem, quàm victoriæ Thebanorum cõſulere decuit? quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro, atque exornato trophæo carius, atque antiquius habere conuenit? ſcripto videlicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat. Atque hoc quidem ſatis conſideratum eſt, nullam eſſe legem niſi reipub. cauſa ſcriptam: ſummam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptum eſſet reipub. ſalu-

tis

tis causa, id non ex reipub. salute interpretari. Quòd si leges omnes ad vtilitatem reip. referri cōuenit. hic autem saluti Reipub. profuit, profectò non potest eodem facto, & communibus fortunis consuluisse, & legibus non obtemperasse. Rursus autem paulò mox ita scribit, iudices, qui ex lege iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis: obtemperare autem legibus nō potestis, nisi, quod scriptum est in lege sequamini, quod enim certius legis scriptor testimonium voluntatis suæ relinquere potuit, quàm quod ipse magna cum cura, atque diligentia scripsit? quod si literæ non extarent, magnoperè eas requiremus, vt ex his scriptoris voluntas cognosceretur: nec tamen Epaminondæ permitteremus, ne si extra iudicium quidem esset, vt is nobis sententiàm legis interpretaretur, ne dum nunc istud patiamur, cum præstò lex sit, non ex eo, quod apertissimè scriptum est, sed ex eo, quod suæ causæ conuenit, scriptoris voluntatem interpretari. quod si vos iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non potestis, nisi, quod scriptum est in lege sequamini, quid causæ est, quin istum contra legem fecisse iudicetis? Deinde quod ea, quæ de scripto iure, quo generaliter comprehenduntur, eò detrahi debent, quod ea neque naturalis patiatur æquitas, nec iuris illius conditores prospexisse

xisse videntur: ex illo ea quidem derogari per illos oportere, qui iura condunt, argumentum innumerabilia Prætorum ædicta præbent: inprimis vero, quæ de inintegrum restitutione sunt: ex quibus enim causis illam Prætor pollicitus est, iuris naturalis esse plerumque definit, quod generaliter ius ciuile statuit in promissis, & conuentis, quòd verò antea non omnibus dolo captis remedium paratum esset (ex quo perspicuum fit, à ciuilibus obligationibus, quæ ad actiones proficiunt, naturales obligationes frequenter abesse) M. Cicero testis est, qui in tertio offitiorum post Pythij relatam artem qua Caium Cannium decepit, hunc versus, sed quid faceret, inquit, nondum enim Aquilius collegas, & familiaris meus eas protulerat de dolo malo formulas, & iurisconsf. de doli mali, & met. exceptió. in cap. 1. Prætorem illam idcirco proposuisse dicit, ne cui dolus suus per occasionem iuris ciuilis contra naturalem æquitatem prosit. pariter quamquam naturalem æquitatem habere dicit; Prætorum ædicta, quæ Vlpianus refert sub titul. de minor. in cap. 1. de legat. præstan. cap. 1. & digestor. in lib. 47. sub titul. 4. cap. 1. sine his tamen æquitas illa naturalis his antiquior ad remedium nequaquam proficiebat, & cum his Imperatoris illa constitutio congruit Cod. sub titul. de legib. 1. cui

præte-

præterea Paulus consonans est sub titul. de reb. eor. qui sub tutel. vel cura sunt in cap.2. de minorib. in cap. 11. de fideicommissar. libertat. in c.27. Saturninus sub titul. si liber. in gen. esse dicat. in c.2.§.2. Vlpianus sub tit. qui & à quibus manumiss. lib. non fiant &c. in c. 12. iuris ciuilis ea pars, quæ Prætorum in edictis consistit; & ius honorarium vocatur, ab illo, vt à Paulo hic similiter distinguitur à Papiniano supra, & ab alijs de constitut. pecun. in cap.3.§.1.& 2. de legat.1. in cap.28. & instit. de obligation. in §.1.& alibi frequenter. Hoc verò prætorio correctum ciuile ius funditus abrogari non potuisse, quia nihilominus id ciuilis iuris nomen retinet ex iurisconsul. verbis colligitur in illo de constitut. pecun. cap.3.§.1. de obligat. & actionib. propè finem cap. 34. sanè qua ratione à iure ciuili eadem à iure quoque prætorium ius distingui solet: iurisque nomine tunc ciuile ius denotatur, vt ab Vlpiano sub titul. quibus mod. vsufruct. vel vsus amittit. in cap. 1. ibi parui refert, vtrum iure sit constitutus vsusfructus, an vero tutione prætoris) sub titul. vsufruct. quemadmod. cau. in cap.9. §. illud sciendum est &c. ibi (siue iure ipso quis vsumfructum habeat, siue etiam per tuitionem prætoris) sub tit. ꝙ fals. tutor. auth. gest. esse dicet. in c. 1.§. idem Pomponius, ibi (tunc enim valebit

per

per prætoris tuitionem, non ipso iure) sub tit. de superficieb. in cap. 1. §. vlt. ibi (seruitutes quoq; prętorio iure constituentur, & ipsæ ad exemplum earum, quæ ipso iure constitutæ sunt &c.) Imperator quoq; instit. sub tit. de bon. possess. sic ait, quos autem solus vocat Prætor ad hæreditatem hæredes quidem ipso iure non fiunt, &c. & sub tit. de perpet. & temporal. action. (Non autem omnes actiones, quæ in aliquem aut ipso iure competunt, aut à Prætore dantur &c.) similiq; modo loquitur de actionib. in §. actiones autem de peculio &c. & item ab his iuris ciuilis partibus; quæ legis vicem obtinent prætorum edicta iurisc͂ōs. separat de condition. institut. in c. 14. Imperator in illo §. quos autẽ &c. verum idem ius honorarium non minus rectè ius dici nos testem iuriscōs. hic habemus. Imperator quoque institution. de iure natur. gent. & ciuil. Prætorum (inquit) edicta non modicam obtinent iuris auctoritatem &c. & cũ his iurisconſ. facit in illo de cōstitut. pecun. c. 3 §. 1. de legat. 1. in c. 115. in §. si quis scripserit, &c.

§. Præ-

§. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit, relatione ſcilicet facta nõ ad id, quod Prętor ita fecit, ſed ad illud, quod prętorem facere conuenit,



VS id non ſolum dicitur, ex quo ea, quæ facienda, vel non facienda ſunt, æſtimantur: qnin ius cuiusque ſuũ generaliter dicitur, quod ſecundum eius dignitatem, vel auctoritatem, eiuè conceſſam facultatem eſt: & alijs quibuſdam modis. Apud Saluſtiũ C. Cotta nam vita, & mors (inquiens) iure naturæ ſunt. hoc dicere voluit nequaquam in noſtra, ſed in naturæ poteſtate ſunt. Cicero pro Marcello, certè in armis inimicorũ virtus, locorum opportunitas, auxilia ſotiorum, claſſes, commeatus multũ iuuat: maxi-

maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat. apud eundem de oratore in primo libro, quod suum ius virtus tenere debeat, Antonius inquit. idem Cicero in proemio ad Marcum filium, Aristonis, Pyrrhonis, & Herilli iam pridem explosa est sententia: qui tamen haberent ius suum disputandi de offitio &c. & paulò supra, Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium aptè, distintè, ornatè dicere, quoniam in eo studio ætatem consumpsimus, si id mihi adsumo, videor id meo iure quodãmodo vindicare. ius pro potestate apud Ouidium ponitur in epistola ad Helenã de Venere loquẽtẽ, in mari nil mirũ, ius habet orta mari. Ad hæc naturali, vel instituto iure, ꝙ admittit, cuiusuè potestas cõcedit, id ipsũ ius esse dicit, vt in his 12. tab. verbis, ꝙ is, qui bellum geret, imperassit, ius ratumque estò ea refert Cicero in tertio de legib. & in his alijs, vti quisque legasset, suæ rei ita ius estò. ea iurisconſ. refert ad leg. falcid. in cap. 1. de verbo. signific. cap. 120. & vnicuique ius esse dicitur, quod ei naturali, vel instituto iure permittitur. Cicero in topicis, si ager compascuus est, ius est compascere, & iterum si mulier cum fuisset nupta cum eo, cui connubij ius non esset &c. & iterum ius omnibus est parietem directum ad parietem communem adiungere. Ius postu-

tare, obtinere, vel recuperare, hoc est id persequi, vel consequi, quod nos instituto iure contingit. Per quem auté id recipitur, is quidem ius reddere dicitur. A naturali cum sæpè ciuilis aberret æquitas, secundum hanc ciuilem à naturali aberrantem æquitatem cum Prætor decernit, ius tamen eum reddere: quòd si vtramque migrat, non ius reddere, sed iniuriam facere dicatur: & hanc iurisconsf. sententiam hic esse, quidam intelligunt, quorum opinionem ipse non recipio, nam secundum huiusmodi ciuilem æquitatem verè ius reddere Prætor ipse dicitur, qui cum reip. seruiat, propter eam, quæ ipsius fidei commissa est, sine vllo peccato naturalem transgredi potest eadem sanè ratione, qua sine peccato illa sic institui potuit, & item alia quia suis decretis illam ipse corrigere nequit. cum ei non de legibus ipsis, sed secundum illas iudicare committatur, vt ex Augustino Gratianus notat sub distint. 4. Cum ergo Prætoris iniquo decreto ius tamen redditum eò dici, quod relatio fit, non ad id, quod Prætor ita fecit, sed ad illud, quod Prætorem facere conuenit, hic iurisconsf. affirmet. clarè de eò loquitur, qui eam violat æquitatem, quam sequi debebat. Ac ius quidem Prætoris eo decreto redditum ea ratione dicitur: eodem vero, quod ad illos attinet, quos illud contingit, ius vtrum fiat, hoc

est an illi stare omnino debeant ij, contra quos illud interpositum est: iurisconsʃ. hic nihil quicquam dicere voluit.

§. Alia significatione ius dicitur locus, in quo redditur, appellatione collata ab eo, quod fit, in eo, vbi fit, quem locum determinare hoc modò possumus, vbicunque prætor salua Maiestate Imperij, saluoq; more maiorum ius dicere constituit: is locus rectè ius appellatur.



PVD quos in ius vocare, trahere, vel rapere, ire vel ambulare legimus, iuris verbo locus significatur, in quo redditur. Auctor ad Herennium lege (inquit) ius est, quod populi iussu sancitum est; quod genus, vt in ius eas, cum voceris. In iure cum dicunt oratores apud Prætorem intelligere Ciceronis verbis in libro primo de oratore Budeus nobis ostendens, huius iurisconf. loci immemor fuisse videtur, Ciceronis illa verba huiusmodi sunt, Nam volitare in foro, hærere in iure, ac Prætorum tribunalibus, iuditia priuata magnarum rerum obire, in quibus sæpè non de facto, sed de iure certetur: iactare se in caussis centum viralibus: insignis est impudētiæ, idem ex his Prætoris verbis colligitur, quæ iurisconf. refert sub titul. de postulan. cap. 1. §. ait prætor &c. ius locum esse, vbi iurisdicundi, vel iudicandi gratia consistat is, cui ea potestas est; eaque verba (in iure) quemadmodum intelligere debeamus, Vlpian. quoque declarat de interrogat. action. in cap. 4. §. vlt. in ius vocare id esse ad eum vocare, qui ius dicturus est, Imperat. dicit institution. de pœn. temer. litigan. in §. vlt.

xij. Martianus lib. 1. institution.

Non numquam ius etiam pro necessitudine dicimus: veluti est mihi ius cognationis, vel affinitatis.

F I N I S.

Imprimatur

Petrus Ant. Ghibertus Locumtenens.

Aloisius Riccius Canonicus deputatus.

Erratorum Correctio.

fol.	vers.	err.	correct.
1	9	elegantes	eleganter
	16	ex hortatione	exhortatione
	17	verum	veram
3	8	iustiam	iustitiam
	17	iustiæ	iustitiæ
	21	iustiæ	iustitiæ
5	13	scripturas	scripturos
6	8	Paulo	paulò
	9	dirisset	dixisset
	25	nnm	num
7	20	pœuæ	pœnæ
8	27	essequūtur	assequūtur
9	2	affirma	affirmat
	16	Imperatorē	Imperatorum
11	27	intelligatur	intelligantur
12	8	præficiunt	præficiūtur
14	2	præceptus	præceptis
	vlt.	tam	tum
15	19	pro	per
17	3	maresque	moresque
	11	munere	munire
18	24	am	ani
20	27	adiaceret	adijceret
	28	refert	referret
21	14	V.pianus	Vlpiani
24	3	enimra	enim ra
25	14	donorūq;	diuinorūq;
	28	agent	egent
27	22	cur am	curam
28	22	anmantiū	animātium
29	12	dixexit	dilexit
31	27	remotus	remotius
33	5	ex	superfluum est
	6	priacipio	principio
34	17	(	C.
	25	(	C.
35	3	iperent	imperent
	27	declat	declarat
36	8	(	C.
37	7	quanda	quandam
	19	pecca	peccata
39	19	Vlpianus	Vlpianum
	25	animantium	animantiū
40	5	homines	homine
42	7	alijs	alij
41	22	&	ea
48	18	idem	id
59	3	vè	vt
63	17	seu	seù
71	20	pohita	prohibita
72	21	ex quo	ex quò
77	19	imis	mis
81	25	eos	eas
84	16	verbis illis partim ex ciuilibus per, subiungēda sunt hæc, quæ intelligit ea, quæ	
87	11	ciuili	naturali
117	16	ditur	dicitur
118	11	diligit	delegit
120	6	quæ suum iustitia,	iustitia, quæ suum
129	pen.	principiū	principū
132	6	emolumenum	emolumentum
		volente	volentes
141	9	restragatur	refragatur
142	24	At ita,	Ac ita
144	18	post ea verba semper est, subiungi hæc alia debent, ita semper	

